

h

pag

+

De
D.n Joachin Jph
Cid, Carrascal
Cura mas antiguo de
S.n Gil de Sevilla

TRADVCTIO LARVÆ SYCOPHANTICÆ, PETVLANTISSIMÆque impietatis Caluinicæ, in tres partita Tomos:

AVTHORE REVERENDO in Chriſto patre Roberto, Arboricenſium præſule, Doctore & ordine & origine Pariſienſi.

Pſalmo 119.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis.

Pſalmo 82.

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.

PARISIIS,

Apud Thielmanum Keruer ſub ſigno Cratis via Iacobæa.

1556.

Cum priuilegio Regis.

Extraict du priuilege.

IL est permis à Iacques & Thielman Keruer Libraires iurez en nostre Vniuersité de Paris, d'imprimer & faire imprimer tant de fois qu'il leur plaira, vendre & distribuer ce present liure intitulé, *Traductio laruæ Sycophanticæ petulãtissimæq; impietatis Caluinicæ, in tres partita tomos, Authore reuerendo in Christo patre Roberto Arboricensium præsule, Doctore & ordine & origine parisiensi.* Et defenses estre faictes à tous Libraires Imprimeurs & autres de quelque estat & qualité qu'ilz soyent, de n'imprimer ny faire imprimer exposer en vẽte & debiter ny distribuer autres que ceux que les susdits Iacques & Thielmã Keruer auront faict imprimer, iusques au temps & terme de dix ans a compter du iour & date de la premiere impresion qui en sera faicte, sur les peines cõtenues audict priuilege. Et qu'en mettant en brief au commencement ou a la fin dudict liure le contenu dudict priuilege, il soit tenu en telle vertu & effect que s'il y estoit expressement & particulierement signifié, sauf que si aucũs vouloyent pretendre que ce brief ne contint verité, seront tenuz lesdictz Iacques & Thielman Keruer en bailler copie aux despens desdictz demandeurs, & ce pardeuant le Preuost de Paris ou son Lieutenant, & non ailleurs.

Donné à Paris, le vingtdeuxiesme Apuril mil cinq cents cinquante & six, apres Pasques, Et de nostre regne le dixiesme.

Par le Conseil.

De Courlay.

GALLIAE SVAE ROBERTVS ARBORETANORUM *Eccleſiæ miniſter indignus, Chriſtianam primum ſalutem, proſpera ſubinde omnia bene precatur & optat.*

VNIVERSAM, quaquà latiſsimè patet, Græciam interturbauit, fatigauit, vehementérque exercuit Arrius: vlteriorem atq; citeriorem Germaniam commouit, excuſsit, acerrimè tandem irritauit hæreſiarcha Lutherus. Iam, ne quid ad calamitoſæ ſeditionis cumulum deeſſe videatur, criſtas erigere conatur in Belgica ſua Gallia fœtus abortiuus ac malè feriatus Ioannes Caluinus, veterum archetypus errorum, & recentiorum architectus: non patriæ tãtùm, verùm etiam ſyncerae pietati infen-

ſiſsimus hoſtis: natiui ſui ſoli non tam emanſor quàm refuga, & pluſquàm deſertor: nuſquam nō rebellis & transfuga, ſuo ipſius & indicio & iudicio exul damnatus, & perduellionis reus, vt tādem verum comprobaretur, vnam in toto orbe Galliam monſtra aut non gignere, aut (ſi fortè obrepant) ea nec fouere, nec alere. Is eſt Caluinus, qui vſque adeò infixus eſt in limo profundi,
Pſal. 68. vt nulla in eo ſuperſit ſubſiſtentia. Ita enim omnium hæreſεωn fæces redolet, vt quantumuis ſis emunctæ naris, olfacere nequeas, quem ex omnibus putorem magis oleat. Credibile autem eſt, eum maximè ambiturum Gnoſticorum appellationem, ab eminente videlicet ſcientia, aut ſcientiæ fuco: cuius faſtigium ſe aſſecutum temere ſibi perſuadet. Niſi fortè gloriari malit Apoſtolicorum mutuato nomine, aut verius vſurpato: vt eſt omnium, quos vnquā Gallia aluit, hiſtrio vaniſſimus: cùm nec dignus ſit, qui ſimia dicatur Apoſtolica. Sed neque eum pudet nomen vſurpaſſe fatidici, ac ſpiritualis vatis: cùm & ſua ipſius dicta & opera, immo & vicinia tota reclamet. Hoc tamē habet cū Cherintho & Ebione commune, quòd veriſſimè & dici & exiſtimari poſſit primogenitus in Galliis filius Satanæ. Quod autem ad reliquas hæreticorum claſſes attinet, non tam eſt Donatiſta, quàm ipſiſſimus Donatus: donatus inquam, diríſque deuotus, immo (vt amplius di-
Roma. 7. cam) venundatus ſub peccato: quódque magis quis miretur, Catharos, Cataphrygáſque omnes, ac reliquam hæreticorum fæcem multis gradibus,

dibus, atque adeò nominibus, impietate ſuperãs: quod verò maximum eſt, ſe quoque ipſum flagitiis ac blaſphemia in dies ſingulos vincens. Et vti dici ſolet, Sir haſirim, hoc eſt, Canticum canticorum: ita ex aduerſò, per eminentiam merito dicetur hæreticus hæreticorum: vtpote catholicorum omnium dogmatum hoſtis ex profeſſo publicus, & iampridem priuato & publico ore, orthodoxorúmque omnium & iudicio & cõſenſu condemnatus. Nemo vnquam poſt homines natos propius acceſſit ad Zoilum, atque (vt amplius dicam) viuam & lineamẽtis & coloribus verámque eius expreſſit imaginem, hoc vno hæreſiarcha Caluino. Homeromaſtix ille ab omnibus acclamatus eſt: iſte (quod flagitioſius eſt) Theomachus, hagiomaſtix, & iconomaſtix à viris cordatis quotidiano experimento cognoſcitur. Non deerat Homero ſuus næuus, quo meritò reprehendi poſſet. Memoriæ enim proditum eſt, eum aliquando apud Athenienſes drachmarum quinquaginta mulctam luiſſe (niſi forſan aureos fuiſſe credas ducalium nummorum numerum æquantes, quæ ſumma aſcendit ad cẽtum ſeptuagintaquinq; ſolidos Turonicos:) ob id maximè, quòd Deos cum hominibus belligerantes ſuo carmine induxiſſet. At hic Eccleſiaſticæ oſor diſciplinæ, ſola contradicendi libidine dementatus, nõ tam κύων ἐϱιστικὸς communi cum Zoilo cognomine, quàm κύων θεολογὸς ſortitur appellationem. Ille vt omnes diſceſſionis numeros impleret, cæteris habitu diſſimilem ſe præſtabat. Videns enim ſuæ

gentis consuetudinem fore, vt talari veste vterentur: ipse (vt erat mentis præposteræ) vestem gerebat nec ipsa quidem genua attingētem. Id quod mystis factionis Lutheranę vsu venire solet. Quin & promissiore barba vsus, caput ad cutem tondebat: vt in hoc saltem à cæteris dissideret. Dicas hunc Zoilum rediuiuum in Luthæranæ factionis æmulis, quos tonsos barbatos appellant, vulgò Bartousez. Ab his si quis fortè requirat, Cur tam sint ad præposteram viuendi formam procliues? Nil aliud quàm quod respondisse fertur Zoilus, adferre poterunt, se tantùm in hoc natos, vt turbas excitent: vt, quod bonis artibus assequi nequeunt, famam saltem, aut (vt verius dicam) infamiam apud omnes sibi comparent. Hîc habes veram nostri archizoili Caluini, & ad viuum delineatam imaginem. Habuere priores, Arrius, inquam, & Lutherus, ex proprio quisque solo procreatos antagonistas: plurimos ex Gręcia Arrius, nec paucos nec contemnendos ex Germania Lutherus. Superest athleticum ex orbe Gallico aduersus Caluinum Gallum (eo tamen tam claro, támq; illustri nomine indignum) legitimè ineundum certamen tanquam contra Galliæ turbatorem, ac muliercularum leuissimarúmque mentium aucupem & inescatorem. Ego verò certissima opinione ducor, ac breui futurum confido: vt ex omni Galliarum ora ac regione exurgāt athletæ inuictissimi, qui aduersum hunc patriæ ac religionis hostem, gladium spiritus, quod est verbum Dei, non segniter exerant, strenuè vibrent, ac vehementer contorqueant. Interim mihi per

eos licebit pugilum minimo ac tenuiſſimo, leui quadã vti velitatione, dum Chriſti milites inuicti, cataphractorúmque acies ordinata in campum prodierit. Accingere itaque Gallia ſemper Pſal. 44.
inuicta gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsimè. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regnabis. En tibi parata ſunt tua epinicia. Te certiſſimus aduerſus pietatis oſores ac ſplendidiſsimus manet triumphus. Dilexiſti iuſtitiam: odiſti iniquitatem, & eam, quæ inter cæteras iniquitates primas tenet, ſuperis atque etiam inferis odioſam impietatem. Propterea vnxit te deus, deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis. Quid enim eſt eſſe Chriſtianiſsimum, niſi vnctione ſpirituali præ cæteris delibutum? Cura igitur Gallia, Chriſtianiſsimi nomine fœliciſsima ac beatiſsima, vt ſecundum nomen tuum ſit & laus tua in fines terræ. Huc Galli omnes, Celtæ, Belgæ, Ciſmontani, Subalpini, ac Tranſmontani: denique à mari vſque ad mare, & à flumine Rheno vſq; ad terminos orbis terrarũ: à Rubicone & Alpibus vſq; ad Pyrenęos mõtes: huc, inquã, accurrite omnes. Hanc à vobis ipſis depellite & labẽ & peſtem. Expurgate fermẽtum hoc: 1. Cor. 5.
ne quantumuis etiam modicum totam maſſam corrumpat. Ego verò, quod vnum poſſum, nec inuitus adgredior. Velitantium ac præcurrẽtium munus mihi lubens deſumam. Id autem erit oppoſitam ex aduerſo aciem explorare, eiúſq; inſidias, machinamenta, vires, arma, acieíque ordinem (ſi tamen ordinis capaces ſint) tranſcurren-

do inuestigare, & inuestigando retegere. Ideóq; hunc titulum, noménque libelli huc affigendum curauimus: TRADVCTIO laruæ sycophanticæ, petulantissimęque impietatis Caluinicæ. Hęc iccirco libens adgredior, non immemor adagij iam vulgatissimi: Spartam, quam nactus es, orna: aut certè quo possis propugnaculo tuêre ac defende. Huc ergo adeste cuncti, etiam symmistæ optimi, sympolitæque omnes vno mihi charitatis vinculo coniuncti. Linguis animísque fauete: recepturi (id quod certò futurum sperandum est) gratiam pro gratia, pro labore præmium, pro sudore ac puluere epinicium, tandémque immarcescibilem æternæ gloriæ coronam, authore & spectatore agonotheta domino Deo exercituum: qui mouet terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant. Cui laus, honor, & imperium in omnes generationes seculorum.

Psal. 103.

AD LECTOREM ORTHODOXVM DECASTICHON.

Caluini impura expuito commenta proterui:
Si modo catholicus, si pius esse cupis.
Nil penitus toto videas petulantius orbe.
Quas non spurcitias fœda lacuna vomit?
Cuius & indigenam peruertit versio linguam:
Peruertit mores impia secta pios.
Nil nisi lethiferum promit, penitúsque profanum:
Quod quicunque volet vel tetigisse, furit.
Se miserè offendit, séque ipsum tam malè perdit,
Qui sua degustat, quàm qui aconita vorat.

Idea Caluinica.

Impius, elatus, trux, intractabilis, audax,
Garrulus, imprudens, perfidus, asper, hebes.

Exodi XXII.

Viri sancti eritis mihi: carnem, quæ à bestiis fuerit pręgustata, non comedetis, sed proiicietis canibus.

Quas sibi fabricauit compedes Caluinus, ipse gestet.

CHRISTIANO LECTORI.

EN habes (studiose lector) traductionem laruæ sycophanticæ petulantissimæq; impietatis Caluinicæ, in tres partitam Tomos, à Reuerendo in CHRISTO patre domino Roberto Arboricensium præsule, Christianæ religionis amãtissimo. Quorum duo primi apertissimè docent realem existentiam preciosissimi corporis Iesu Christi sub speciebus panis & vini in venerando altaris sacramento: quam variis tum authoritatibus, tum rationibus luculentissimis, ecclesiasticis historiis, exemplísq; confirmat. necnon imposturarum Caluinicarũ, cæterorúmq; sacramentariorum ineptias vel ob oculos ponit. Tertius verò Tomus complectitur aliorum sacramentorum à Christo institutionem, eorúmque vsum per apostolos nobis traditum: quam vetustissimorum bonæq; memoriæ virorum sacrosanctis authoritatibus, velis remísque (quod aiunt) munire contendit. Idq; in gratiam Christiani lectoris, cui semper suis lucubrationibus bene consultum voluit.

TOMVS PRIMVS.

QVVM IN aliis plurimis, quæ etiam (vt cum Manasſe loquar) arenæ maris numerũ ſuperant, erratis, mihi meritò diſplicere debeam, impie iuxtà ac improbe Caluine, vt qui meæ ſim imbecillitatis conſcius (id quod ingenuè libénſque agnoſco) effecit tamen tua petulans ac plus quàm mimicè ſimulata impietas, impudénſque temeritas, vt aliquot ſaltem nominibus mihi ipſe quadantenus placere poſſim, ac meritò debeam, ita vt hîc locum habere poſsit poëtæ illius aduerſus Didymum ſcomma non prorſus inſulſum, qui ait: Inſequeris, fugio: fugis, inſequor. hæc mihi mens eſt, Velle tuum nolo, perdite, nolle, volo. Proinde nullatenus aberrauero, ſi quos tu probos dicis, ego improbos: quos probris afficis, ego laude plurima dignos perpetuò exiſtimauero. Quis enim (niſi planè mentis expers) ſuccinere atq; obſecundare velit ei qui ſit lerna quædã apoſtaſiæ, ſentina errorum, totiúſq; perditionis vndecũq; collecta colluuies, & hoc quidem nomine ſibi vni mirè placẽs, quo

potius laqueum iugulo parari oportuit: quod est summæ impudentiæ ac petulantissimæ temeritatis certissimum indicium. Sed quid facias homini, qui eousq; dementię peruenit, quiq; ita in tenebris strauit lectulũ suũ: vt ponat lucẽ tenebras, & tenebras Lucem. Cui & illud affabrè competit:
Prou.18. Peccator si in profundum malorum venerit: contemnit. Hæc de te vt palàm prædicem, tibique in faciem obiiciam, non tam voluntas cogit, quàm quæ ex impudentiæ tuæ temeritate colligitur necessitas impellit, accedente in eam rem omnium catholicorum consensu. Quanuis enim quandoque neget Sapiens stulto respondendum: idẽ tamen etiam vrget vt respondeatur vt habeat vnde suum dementia cæca furorem temperet. Siquidẽ

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Dum modo culturæ patientem præbeat aurem.

Quod si nõ audit currus habenas, hoc saltẽ habe-
1.Tim.5. m⁹ in mãdatis à Paulo: Peccantẽ coram omnibus argue: vt vel cæteri saltem timorem habeant. Nã
Prou.19. percutiunt vnum, nõ vnũ fulmina terrent. Quod etiam agnoscit, qui ait: Pestilẽte correpto stultus (subaudi) forte aliquis sapientior erit. correpto dico: si non correcto. Nam venia daretur correcto, quã nõ meretur nisi suiipsius misertus resipiscat. An non sufficiebat tibi diuersio euersioque propria, nisi & alios tecũ perituros alliceres, allectos inescares, inescatos (quod est Diabolo peculiare op⁹) Orci familiæ addictos reddere? Debuisti absterreri sentẽtia illa formidabili, atq; ipso penè stupẽda sono: Væ vobis hypocritę (nõ in agẽdis tãtũ

immo

immo & in credẽdis) Pharisęi, sectas videlicet no- Matth. 23
uas excogitãtes hæretici: qui circuitis mare & ari-
dam, nempe insulares & mediterraneos in ve-
stram trahentes sectam, vt faciatis vnum prosely-
tum filium gehennæ duplo quàm vos. Hæc sanè
verba, si aliquid mẽtis haberes: horrorẽ tibi ac ter
rorem incutere debuerant, nisi quòd nemo po- Eccle. 7.
test corrigere, quem Deus despexerit. Sufficere ti-
bi debebant peccata tua, vt non etiam aliena te
obruerent & adglutinarent, nisi frons meretricis
facta esset tibi, adeò vt nec velis erubescere. Sed
frustra arenæ semina mandantur, quandò (vt ait
sapiens) Qui corripit stultum: quasi qui dormiẽ-
ti narrat fabulam. Qui cùm experrectus fuerit, di
cit: Quis est hic? Sed tu diuersum ex diametro
apud te cogitans, verba mea ipsissime in me re-
torquebis opinor. Verùm me nihil mouẽt ea quæ
de tribulis asini sentiũt, quos etiam in deliciis ha-
bent. Nam (vt est in adagio) Similes habent labra
lactucas. Tu verò vnà mecum scrutari debueras,
quid vniuersus catholicorum chorus, eorum in-
quam qui sunt, & qui fuerint, quique futuri sint
omnes vno ore perpetuo vsu mutuoque consen-
su palàm ac ingenuè profiteantur, non ea submur
murantes in antris aut cauernis, deliciarúmve cu-
biculis, thermísve aut conuiuiis: sed publicè edũt
etiam super domata. Hæc cùm sint veriora veris,
te iam habeo pro deplorato, quin poti⁹ (quod ad
me attinet) tãti tua virulenta æstimo cõuitia (quę
omnia pro ridiculis habeo ac histrionicis iocis)
quanti aut suilli gregis grunitum, aut asininæ vo-

cis ridiculum ſtrepitum. Quod ergo ad me attinet, multis nominibus mihi non poſſum non placere. Primúmque (etiam ſi cætera deſint) quòd (vti ex his qui te authore proſtant codicibus cōſtat) palàm notum feceris me tibi eſſe odioſum & inuiſum. Quo certè beneficio nullum ex impura tua lacuna mihi gratiꝰ ac lætius obtingere potuit. Quid enim viro catholico contingere poteſt glorioſius, quàm conuitiis impeti ab eo qui ſuorum ſignorum deſertor deploratiſſimus palàm & dicatur & agnoſcatur, procaciſſimorum omnium, qui ſub ſole aut ſunt aut fuerũt, impudẽtiſsimus, & impudẽtiſsimorum procaciſsimus? Apud quẽ eſſe morionem, hoc ipſum eſt eſſe ſapiẽtiſsimum. A quo flagellari: hoc eſt eſſe beatiſsimum. Cõtra verò laudari: ſummæ impietatis indiciũ eſt. Quis enim, niſi improbus, & impius, placere velit vni omnium errorum ac ſcelerum vix vnquã haurien dę lacunę? Homini, inquam, nõ tã vicioſo quàm vitio nulla virtute redẽpto. Æthiopes (vt ille ait) vna quoniã nigredine ſordent, ille color nulli vitio datur: quin potiꝰ cãdor illis ita ingratus eſt, vt ſuos dæmonas albicãtes depingant: & quod aliis decorum eſt, ipſis videatur indecorum. Nihil igitur in ære meo libentius repono, quàm tibi totius improbitatis faſtigium tenenti, (vt qui & dicaris & ſis noſtri iam infamia ſecli, tuęque carbonaria gentis) in ea re potiſſimùm diſplicuiſſe, in qua mihi ſummopere placere debeam. Gratulor in primis quòd me omnium horarum viro, Chriſtianæ diſciplinæ athletæ inuictiſſimo (quocunque etiã

morio-

morionatus nomine) domino Ioanni Cochlæo conferre dignatus ſis. Quis enim non malit deliri etiam perſonam ſuſtinere cum tali ac tãto viro, quàm vaniſſimos titulorum fumos in ſe recipere apud eum à quo commendari, ſummi improperij vicem obtinet? Non quòd aliud quicquam habeã habuerímve vnquam cum integerrimo illo viro Cochlæo cõmune, niſi quòd ex copioſiſſimis eius circunſpectiſsimiſque in re catholica ſentẽtiis, de ea quæ in eo relucet ac prælucet religionis ſynceritate, fidem apud me conceperam conſtantiſsimam, prorſuſque indelebilem: quam quidem auctiorem nunc maximè reddit tua in eum odioſa, verùm nihil minus quàm tædioſa, tibi verò vni maximè pernicioſa calumnia. Quẽ dum tuis maledictis denigrare putas, apud omnes viros cordatos tua improbitate illuſtras. Quem enim pro tua dementia oculorumque faſcinatione, atrum putas eſſe colorem: is totus & nitidus eſt & candidus. Meminiſſe debueras ſentẽtiæ illius apud Eccleſiaſtẽ: Stultus in via ambulãs, alios omnes ſibi ſimiles exiſtimat: quodque tui ſimilibus delirium eſt: id omne rectè ſapiẽtibus ac catholicè ſentientibus haberi pro ſalutari orthodoxoq; dogmate. Ideoq; nec te iampridẽ oculorũ lumine caſſum, nec ridicula tua ſcõmata vel pili æſtimat, id apud ſe reputans. Non licet aſſe mihi, qui me non aſſe licetur. Quis enim neſcit tuam omnem fœturam à capite ad calcem nihil aliud quàm meram olere ac etiam redolere vel læſi cerebri inſaniam, vel deſertæ religionis infamiam? Quę duo ita paſsim Cap. 10.

in æditis à te voluminibus perſpicua ſunt, mutua quæ ſibi impietate reſpondentia, vt de te (etiã nominatim) dixiſſe videatur Valerius ille Martialis quod ſcribit ad Criticum:

Aequales ſcribit libros Caluinus & Vmber.
Aequalis liber eſt, Critice, qui malus eſt.

Nec tibi tantùm qui Caluinus diceris, illud cõpetit, quinetiam Vmbros tuos vmbraſq; reſpicit. Vmbros voco, eos omnes ſeu Caluinates, ſeu etiã Bucceranos, Muſcularéſve, ac reliquã hęreticorum fęcem, qui æquales ſuorum errorũ fœtus codicéſve, hoc eſt ex æquo virulentos magno ſuo ſuorúmque ſequacium malo, in lucẽ emittere nõ erubuerunt. Vmbras verò appello inceſtuoſa illa ſcorta, inſigniterque turpia, quæ tu votifragis omnibus tuo impuriſsimo dogmate comparaſti. Habet itaque Caluinus Vmbros ſibi adherentes non paucos: habet & inſigniter obſcuras fucato cõiugij nomine obſcœni nominis vmbras, Epicuri de grege porcis falſa nuptiarum imagine ſcortatoribus locatas.

Mihi itaque hoc nomine gratulor, tibi etiam compaſſurus, ſi ceruicem tuam duriſsimã ac peruicaciſsimam commiſeratione aliqua dignã exiſtimarẽ. Et vnde, quæſo per ſacra tua execratiſsima Caluine, vnde inquam tibi tãtum aut artis aut ingenij, quòd tibi ex certo & liquido deligere potueris duos toto orbe Gallico ſimul & Germanico moriones præ cæteris? Túne es delector morionum, an potius ipſiſsima Moria, quæ in te vno non inuenta reperta eſt? A duena, & ex toto orbe

catholico

catholico profugus, Christianorúmque desertor signorum, in tuum antrum Gebenense te recepisti: nonne vt catholicos iudices? Quis te in hoc delegit iudicem? Nonne tu qui solus es? Solus, inquam, qui nec catholicis consentis, nec cum tuis hæreticis conuenire potes. ab eis enim toto aberrans cœlo, in Sacramentorum placitis discrepas. Agnouit quadantenus errorem suum in sacramẽto Eucharistiæ Buccerus, leui quadam interpretatione errorem dissimulans. Tu verò tui semper similis, imò (vt verius dicam) teipsum omnibus perfidiæ exemplis superans, in plerisque placitis ab omnibus sacris execratísque authoribus tota via discrepas, & eos quidem nullo personarum statuúmve habito delectu, mordes, arrodis, laceras, deuoras: tibíque in omnibus placens, nulla ratione modóq; pro tui animi libidine obuia quæque prosternis. In tuis lustris vix tolerãdam exerces tyrãnidem. Externis omnibus dicere, legémque imponere tentas: cùm sis vnus inter omnes exlex, peruicacissimus, filius Belial, sine iugo, imò votifragorum & cucullatorũ dux & antesignanus, sine lege, quam à puero vltro assumptam explosisti: sine tribu, quã in catholico ritu perseuerãtem abiecisti: sine familia, quam abiectis tuæ professionis signis, toto iam orbe profugus & vagus deseruisti. Cúmque nemini parcas, orbem vniuersum tuo iugo submittere tentas. Criminaris, subsannas, tyrannicum spirans, liberè velut è plaustro loqueris. Et hæc omnia solus. Omnibus insultas, dicteria dicis in omnes. Quid tibi vis dicam?

magnus es ardelio. Sed vnde, quæso, tantum tibi ocij suppetere potuerit, quòd perlustratis animo cunctis nationibus, summos aliquot stupidissimósque moriones nominatim designare volueris? Quis te neget esse magnæ illius matris Moriæ propria de stirpe creatum, morionicæ rei expertissimum & exploratissimũ mysten, In cuius, Moria ipsa totos se infuderit art⁹? Quis enim nisi Moriæ spiritu afflatus, abstrusissima stultitiæ secreta tam bellè támque affabrè ac luculenter perlustrare potuisset? Verùm tu mihi dicito per tua Moriæ sacra, Caluine, duobus à te designatis morionibus, quem tertium deligeres? Tu nisi respondes: tua ipsius vice loquar, non esse extrà requirendũ tertium: nam quod petis, intus habes. Neque id quidem in collatiuo, verùm & teipsum & cæteros superante gradu. Vt quem tua ipsius philautia eò perduxerit, vt & sis & habearis omniũ arrogãtissimorum impudentissimus, & impudẽtissimorum arrogantissimus. Nempe œcumenicæ Moriæ Aristarchus, aut si quid sublimius cogitari potest. Ideóq; manus tuæ contra omnes, non catholicos modò, verùm etiã hęreticos: & manus omnium cõtra te. O fortunatos nimium (bona si sua norint) catholicos, qui se plurimum profecisse arbitrabuntur, quòd huic monstro tam horrendo, tam superis infensæ atque adeò ipsis inferis immanissimæ beluæ inuisi odiosique esse cœperint. Vna enim est fera ista singularis, cui pro ludo est candida in nigra vertere, & nigra loquendo dealbare. Nec tantùm pro ludo, imò & pro desi-

desideratissimo lucro. Tibi itaq; plurimum deberem pestilentissime Caluine, si vllam apud catholicos tua improbitas gratiam promereri posset, vel hoc etiam nomine, quòd me nihil de te cogitantem adortus fueris. Iam enim sumpta occasione, gaudeo tempus aduenisse, quo cum tanta fera belua punctim ac cæsim, vnguibus ac dentibus cõcertandum sit, vt qui sciam scriptum esse: Nõne qui te oderunt, domine, oderam? & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi. Id ergo tibi vnum persuadeas velim, non quòd in hasta & gladio hostiliter veniam ad te, sed in nomine potius Dei viuẽtis: cui exprobrasti, quem insectaris, in tuam ipsius, tuórumque ineluctabilem perniciem: quẽ in hac causa iudicem appello, & vindicem, de quo scriptum est, Deus meus, impolluta via eius: cuius eloquia igne examinata, quíque protector est omnium sperantium in se. Ille doceat manus meas ad prælium: ponat vt arcum æreum brachia mea, ita vt persequar inimicos suos, téque in primis eorum ducem & antesignanum. Comprehẽdam illos, & non conuertar donec deficiant, & ita confringantur, vt nec possint stare: comminuantur vt puluis ante faciem venti, & vt lutum platearum deleantur. Duplici itaq; de causa iam conserẽdum: publico, inquam, Christianæ Reip. priuatóque nomine. Sed quibus armis, quæso? duris sanè ac diris sermonibus, telísque acutissimis, præsertim aduersus eum qui signorum suorum non solùm desertor, verumetiam infensissi-

mus hoſtis, diríſque deuotus, Orci familiæ pri-
dem aſſcriptus, iampridem conclamatus eſt.
Apud quem nullus eſt præſtandæ commiſera-
tionis locus.

Cum reliquis (fateor) Chriſtianis quantum-
cunque improbis mitius agendum foret. Necdũ
enim (vt ſic dicam) ſunt diffidati, inque tenebras
extimas relegati, ſibíque tantúm, non etiam aliis
infenſi ac noxij. Tu verò is es, quem totis conui-
tiorum plauſtris, nauigióque ac velo inſectari o-
porteat. Nec deeſt mihi certa in ea re ſcripturæ
authoritas, quæ ait: Quid detur tibi, aut quid ap-
ponatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ poten
tis acutę, cum carbonibus deſolatoriis. Alio item
loco huic cauſæ cõſentit Pſaltes regius: Quid glo
riaris, inquiẽs, in malitia, qui potens es in iniqui-
tate? Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſi-
cut nouacula acuta feciſti dolum. Dilexiſti mali-
tiam ſuper benignitatem: iniquitatẽ magis quàm
loqui æquitatem. Dilexiſti omnia verba præcipi-
tationis, lingua doloſa. Propterea deus deſtruet
te in finem, euellet te, & emigrabit te de taberna-
culo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.
Neque id edixiſſe contentus, adiecit: Peccatori di
xit deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſu-
mis teſtamentum meum per os tuũ? Tu verò odi-
ſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos re-
trorſum. Si videbas furem, currebas cum eo:
& cum adulteris portionem tuam ponebas.
Os tuum abundauit malitia: & lingua tua cõcin-
nabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum lo-
quebaris,

quebaris,& aduersus filium matris tuæ ponebas scãdalum,hæc fecisti,& tacui. Existimasti iniquè quòd ero tui similis:arguam te,& statuam peccata tua contra faciem tuam. Huiusmodi authoritatibus innixus, iure ita tecum agere possum, vt cùm ferociente ac furente bestia vulgus agere solet, dum cateruatim,nullo sexus ætatisque delectu, flagris, fustibus ferreis, saxeisque missilibus, cõfuso vocũ promiscuarũ celeumate eminus etiá visam feram adoriri solet. Non enim aliis impetendus es iaculis, quàm his quæ tincta Lycambæo sanguine tela madent.Nam quid æquius est, quàm malo nodo malum opponere cuneum? Id ego præfari volui,nõ tam tui causa (qui orbi vniuerso haberis pro deplorato) quàm piorum gratia,vt me subleuem à suspicione culpæ nimiæ debacchationis. Norunt enim pij omnes, acrius & acerbius agendum esse cum cane rabido, aut ferociente lupo, quàm cum errante oue. Ille enim nihil aliud molitur, quàm vt disperdat & mactet & perdat.Hæc autem sui conscia erroris, idẽtidẽ apud se repetit:Erraui sicut ouis quæ periit: quære seruum tuum domine: quia mandata tua non sum oblitus. Norunt omnes ex scriptis tuis,tecũ sic esse agẽdum,veluti cũ fera sæuissima,intractabili,prorsusque indomabili, vt pote quæ pro dẽtibus gladios habeat,quę etiam sibi munda videtur,& non est lota à sordibus,imò solo halitu super aspidem & basiliscum obuia quæque inficit, solo impetu cuncta proterit,vt dum horrida tem pestas cœlum terræ miscet,& mare cœlo, omnes

prosternens hominumque boúmque labores.
2.Reg.23 Neque ignorant viri catholici quibus vtẽdum sit armis ad euellendas senticosas spinarum radices. Id quod nec egregium psalten Israëlis latuit, qui ait: Præuaricatores quasi spinæ euellẽtur vniuersi, quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lãceato, ignéque succensæ comburentur vsque ad nihilum. Ex his verbis coniicere poteris captiose Caluine, quàm infœlix te maneat exitus, nisi malis citius recurrere, quàm semper currere malè.
Prou 3.0. Qua enim, quæso, miseratione dignus est oculus qui subsannat patrem, catholicæ nimirum caput ecclesiæ: quíque non solùm despicit, imò virulento suo halitu inficit, & (si queat) conficit partum matris suæ ecclesiæ? Dignus certè est quem suffodiant corui de torrentibus, quémque deuorent filiæ aquilæ. Quid facias generationi, quæ patri suo maledicit, quæque matri suæ non benedicit? Et ea tamen sibi munda videtur, cùm nihil minus sit quàm lota à sordibus. Quis ferat Caluinicam generationem, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ supra omnem omnium aleam & conditionem in alta surrectæ? Hæc est Caluinica illa generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & cõmandit molaribus, ita vt comedat consilij & mentis inopes de terra, & pauperes ex hominibus, quos de stultis insanos reddit, dementioresque efficit discipulos quàm acceperit. Quæ & sapientior sibi videtur septem viris loquentibus sententias. Nihil sanè aliud expectandum, quàm quod idem
ait

ait vigesimosexto capite. Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto, iurgia conquiescẽt. Alioqui nulla requies sperari potest. Nam sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignẽ: ita Caluinica sycophantia suscitat rixas. Cui & illud competit. Acetum in nitro, qui cãtat carmina Prou.25.
cordi pessimo: cuius est tam irrequieta petulãtia, vt siue loquaris, siue taceas, nullam habere possis cum eo requiẽ. Nam quomodo si spina nascatur Prou.26.
in manu temulenti, sic parabola in ore eius. Cùm igitur omnem corripientem dura ceruice cõtemnat: quid illi nisi repentinus superest interitus, & eum sanitas nulla sequatur? Neque aliquid magis habet in deliciis, quã vt procaciter obfirmet vultum suum, transgrediatúrque terminos antiquos quos posuerunt patres sui. Qui si quid mentis haberet, aut apud Deum hominésque reuerentiæ: hæc secum tacitus cogitaret. Qui inaltat domum Prou.17.
suã, quærit ruinam. Et illud: Semper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum. Verendúmque est illi, dum reddit mala pro bonis: ne non recedat malum de domo eius. Quod futurũ prædixit Sapiens: sed surdo fabula narratur. Quis enim medebitur incantatori à serpẽte percusso? Curauimus (ait Propheta) Babylonem: & non est curata. quis medebitur ei? Cũ nemo id possit: derelinquamus eã. Recipiẽt Caluinates fructus viæ suæ: cõsiliis suis aliquando saturabũtur. Ignoscant igitur veræ pietatis cultores, si sapientis consilium sequutus, seuerioribus quàm pro more Christiano fieri solitum sit, verbis ag-

grediar eum, qui cùm sit miserrimus, non sit mi-
Eccli. 14. serabilis vlli. Nam qui sibiipsi nequam est, quomodo aliis bonus erit? Hoc igitur summum pietatis genus est in hac causa, verborum saltem aculeis fuisse crudelem. Sic enim saxũ saxo, ferrúmque ferro retundere necesse est.

Proinde ita tecum ad præsens agere consilium est, vti cum immani quodam ac indomabili mõstro, quod nulla prece aut ratione cicurari frenaríve possit, Quod quicquid libet, licere putat. Idque adeò, vt quod laudat, vituperio dignum sit: quod cogitat, vanum: quod loquitur, aut fallax aut falsum: nempe dolosum, etiam si aliàs verum sit, ea mente prolatum vt fallat. Quod improbat, bonum: quod probat, impium: quod commendat, illaudatum: quod extollit, impurum: quod admiratur, inane.

Prius tamẽ quàm tecum refutationibus agam, traducere libet nunquam antea aut visam aut auditam temeritatem, vt qui cùm in reliquis alios in hoc certè vno (quod mox dicturus sum) exemplo teipsum improbitate superaueris. Ne enim parũ videreris impius, vesanus & audax, non infimum quempiam aut eruditione aut dignitate adoriri ausus es: imò verò summum in orbe Christiano principem, technarum tuarum illecebris allicere non formidasti, directa ad regiæ maiestatis apicẽ sub apologetico velamine virulenta Epistola, quã quisquis catholicus vel ab ipso tantùm limine salutauerit, vel solo impietatis offensus odore pedem confestim retrahet, vt si nudis virulentum

pressisset calcibus anguem. Hanc omnibus antea seculis inauditam temeritatem, quis non indignè ferat, hæc apud se, aut certè acerbiora, mente pertractans? Tantúmne tibi, impudẽtissime Caluine, licuisse putas, vt posthabito omni pudore ac rubore, regiã tu (alioqui etiam perduellionis reus) tuis errorũ technis & figmentis offendere audeas maiestatem, à qua potius supplex humíque prostratus erratorum veniam cum gemitu & lachrymis obnixè postulare debueras? Debuit hoc saltẽ non licuisse tibi. Satísne tibi erat Christianæ Religionis perturbare riuos, nisi & fontes ipsos sordibus tuis illinere tẽtares, vt ex cœnosis fontibus aquam turbidam oues haurire cogerentur?

Túne tuos spurca sæuißima vipera lingua,
Túne tuos tentas fallere Francigenas?

Quid frustra niteris pestilentissime crocodile vel solo intuitu pios ac synceros catholicos inficere? hoc vnum curás, vt vel ab ipso capite piscis fœtere incipiat.

Principe cum nostro quæ nos committere tentas,
Quid non audebis impia lingua loqui?

Et ne quid tuæ impietati deesset, Rapsacen imitatus, lingua vulgari vsus, vt ille Hebræos Hebraica lingua seducere voluit: ita & tu vernaculo vsus eloquio potius quàm latina phrasi, tuæ imposturæ toxicum in vulgus effundere ausus es, ea nimirum mente, vt si cordatos non posses, quosdam tamen ex fece plebis incautos, aut nutantia mulierculárum ingenia, in tuam sententiam alliceres. Siccine posse putas falli cum principe vul-

gus?Cum principe (inquam) Christianissimo, populũ catholicorũ omniũ catholicissimũ, leui manu posse seduci? Non sic impie, nõ sic. Prius enim

Omnia naturæ præpostera legibus ibunt:
Nulla suum mundi pársque tenebit iter.

Te vix pueri audient, nisi qui nondum ære lauãtur. Satis es iam intus & in cute notus.

Primum omnium, qua frõte, nisi plusquam quis credere possit perfricta, in hac potissimũ religionis causa sublimissimum abiectissimus, potẽtissimum (nisi sola facultate nocẽdi) imbecillissimus, illustrissimum obscurissimus, principem suũ perduellionis reus, Christianissimũ Antichristianissimus, supremum infimus, offensum à se dominũ læsæ maiestatis reus, suis technis aggredi audet: cúmque tanto principe tanquam de pace tractaturus, ostentare & offerre, quam non habes ipse, salutem. Itáne tuis (quos perdere laboras) Gallis consultum esse cupis, vt artibus fallacissimis ac præstigiis eos dementare tentes? quin persuasisse te simulas (quod nũquam illis venit in mentem) tuorum lenociniorum teneri desiderio. Téne pudet simplicem formam docendi appellare eam, quam profiteris, cùm ingrediaris terram duabus viis, ponens lucẽ tenebras; & tenebras lucẽ. Furiæ insimulas eos, qui tuis pestilentissimis conatibus obstant, cùm nulla sit te vno pestilentior erinnys. Tibi siquidem furor inest iuxta similitudinem serpentis, & sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, ne audiat vocem incantantis, vocem incantantis sapienter: vt qui antesignanus factus sis eo-

rum

rúm qui acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Verùm diſperdet dominus (id quod maximè formidare debueras) vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam, tuam inquã, tuorumque, qui dixerunt: Linguã noſtrã magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt? Adeò ne vires tuas omnes cõiecisti in linguæ tuæ venenatiſsimũ torrenté, vt credas te etiam electis imponere poſſe?

Audes in primis (vt es frõtis per omnia perfrictæ) profiteri te velle reddere rationem peſtilentiſsimi tui inſtituti, hoc eſt aquã ex pumice extrahere, & è tenebris ſplẽdorem excutere, cùm prõptius è ſaxo ſcintillã (quæ te ſuo perdat incendio) exhaurire poſsis. Audes viros integerrimos, pietate ac Religione orbi conſpicuos, zelo Dei flagrantes, calumniæ & proditionis inſimulare. id pro tuo more facis, ea verſutia præditus, vt candida denigres, & nigra in cãdida vertas. Quereris quòd inauditi damnati ſint tuæ factionis perfidiæq; ſectatores votifragi, inficiatores, refugæ, blaſphemi, ſuorúmq; ſignorum deſertores, Core Dathan & Abiron æmulatores, quos terra dehiſcens viuos abſorbuit, cœlo terræque peroſi, omnium quos ſol iſte vidit vnquam, humano conuictui pernicioſiſsimi. id quod facilè declarabit tua per ſingula capita cuiuſuis etiam mediocriter eruditi oculis, ſynceráque mente perluſtrata calumnia. Tu verò qua impudentia negare poteris, aut tegere ſeditionem toto orbe Chriſtiano obortam, quæ iam cœlum terræ miſcuit,

& mare cœlo,ob pestilẽtissimam quam perpetuò foues doctrinam? An non ob eam causam insurgere passim videmus gentem aduersus gentem, & regnum aduersus regnum? Quid aliud ab initio nascentis huius hæresis ob oculos ponitur, q̃ prælia & seditiones, terræmotus, pestilentiæ, & fames? Prius enim passim affluebat pacis amica quies, nunc autem tumultuatur iuuenis aduersus senem,& ignobilis aduersus nobilem. Quid igitur quereris, quid frustra lamentaris, tantorum authores facinorum sæpius admonitos, frequentius increpatos,quosdã etiam beneficiis allectos, inq; sua peruicacia perpetuò persistẽtes, extrema animaduersione puniri? Negas te teneri charissimæ alioqui patriæ desiderio, à qua te tua expulerunt scelera. Tu verò si saperes,siqua vel minima in te veræ pietatis scintilla superesset (cùm totam eã abdicaueris) magis vri debebas anxietate recipiendi eam,quam à te impiè abiecisti, cuiq; cõuiuere atque immori debueras,religionis conditionem. Vna tibi patria expectanda venit, quam tua promeretur impietas,tetri carceris ergastulũ, cuius pædore,siti ac inedia,schismaticam tuam labem toto vitæ decursu expiandam curares,nisi te acrior & acerbior pœna maneret.

Oportet(inquit os istud impudens) nostrã doctrinam orbi præesse vniuerso. Non est (inquit) nostra,sed Christi,qui verius dicere debuerat, Antichristi. quæ tantum abest vt à flumine porrigatur in flumen, vt ipsa terra mariq; flagellanda & exterminanda profligetur.Neq; enim euangelica

est,

eſt, verùm pſeudo potius euangelica: non pia, ſed impia: non Chriſtiana, ſed Antichriſtiana. Neq; tam hæreſis eſt, quàm omnium colluuies hæreſum: non ferrea aut ærea, verùm feculẽta potius & lutea. Id enim à fructibus eorum cognoſcitur, cùm nihil apud eos magis habeatur in vſu, quàm ſcortationes, paſſimque occurrentia ſtupra, adulteria, inceſtus, omnium deniq; ſentina malorum. Tu verò aſtutè potius quàm rectè tuæ vitæ conſuluiſti, quum nemine perſequente (vt de impio ſcriptum eſt) effugeres, tuæ nimirum impietatis tibi cõſcius, vt nec ſic Gallici nominis gloria deperiret, quę ſola mõſtris caruiſſe perhibetur. Sciebas enim eum eſſe Galliæ Genium, vt omnia potius ſuſtineret, quàm cornua erigentes hæreticos. Ab his enim cùm nulla ſub cœlo natio, qui clancularij ſunt, ſe extricare poſſit, hos tamen ſemel vel ab vnguibus deprehenſos, niſi ſtatim aufugerint, cõſumit & perdit: vt perpetuò verum ſit, ſolam Galliam hæreticorum monſtris, quantum humana anniti poteſt induſtria, carere. Hoc ergo tibi debet tua Gallia, quòd tu ſceleris conſcius, ſtatim aufugeris, inque tuum antrum veluti Cacus alter te receperis:

Cacus (inquam ille) *Auentinæ timor atque infamia ſyluæ,*
Non leue finitimis hoſpitibúſque malum.

Et ea quidem cauſa eſt, quantumcunque diſſimules, cur non magno tenearis deſertę patrię deſiderio. Ad quam nunquam (ſi me audis) redeas, niſi emendatior, ſi tuæ, qua hactenus indignus

fuisti, saluti vis esse consultum.

Iam non est ꝙ ab externo quopiam vesaniæ tuæ profundiq; delirij testimonia desideres. Tu tibi locupletissimus testis es improbitatis impietatísque propriæ, ex his quæ nuper in lucem emittẽda curasti, quæ carptim à Cochlęo excerpta, & catholicè (vt talem virũ decuit) refutata, ad manus nostras deuenerunt. In quibus, veluti in speculo, cernere est quanta in te cerebri vertigine laboret oblita sui mens. Sic enim in florulenta, imò potius virulenta illa excerptione ad verbum legitur.

Caluinus. [Nec veterũ sentẽtias moror, quas ad obruendã veritatem huc congerunt moderatores (consules intelligẽs cæsareos) Solẽne est nebulonibus istis, quicquid vitiosum in patribus legitur, corradere, ac si quis solam, auro neglecto, scoriam, & abiectis granis quisquilias studiosè legeret.]

Refutatio Nebulones ergo, te censore, existimandi sunt Cæsareæ maiestatis consules, Ganeo impudentissime, non vnius furcę supplicio dignissime: quos etiam tibi parum est nebulones appellasse, nisi etiam addas, Christianæ religionis ex professo osores, & hostes, vt quos nihil magis habere in votis pronuncies, quàm aut agnitam aut non satis intellectam obruere veritatem: patrúmque oracula pro vitiosis commentis, quæcunq; ab eis citantur, habenda incunctanter asseris, negligendáque vt scoriam & quisquilias. Tibíque vni arrogas, nullius fulto testimonio, veram sacrorum intelligentiam. Te penes vnum, aurum & grana recondita manent, relicta tantùm catholicis scoria,

ria,

tia,& quiſquiliis. O ſcelus,ô rabies,ô lerna cõuitiorũ. Quis non miretur in tam modica ſtrue vocabulorum tam multam ſpurcitiarũ farraginem? Si Pythagoræ metẽpſychoſis locum haberet, dicerem in te transformatum Mamercum illum, de quo apud Martialem ita legitur: Lib.5.epigram. 29.

Vt bene loquatur, ſentiátque Mamercus,
Efficere nullis Aule moribus poßis:
Pietate fratres Curios licet vincas,
Quiete Neruas, comitate Druſones,
Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, iocis Paulos.
Rubiginoſis cunctos dentibus rodit.
Hominem malignum forſan eſſe tu credas:
Ego eſſe miſerum credo, cui placet nemo.

Iam quis Praxiteles ſculpere, quis Apelles pingere aptius potuiſſet Caluinici monſtri feritatem intractabilem, qui nemini parcere, quantacunq; polleat dignitate, aut poſsit aut nouerit: quiq;, vt ei peculiare eſt, non vnum tantũ aut alterum, verùm omnes in vniuerſum ordines, vno (ſi queat) telo moliatur confodere. Qui potius ipſe inſigni aliquo ſupplicio conficiendus foret, aut vt monſtrum immane ingens, in extimas quaſcunq; inſulas, ipſi etiam Phœbo inuiſas, relegandus.

Nec à recta prorſus aberrauerit, qui dixerit hiſtrionicum quippiam (qua maxima arte polles) tuum ſubolere commentum, Caluinice hiſtrio. Solent huiuſmodi impoſtores mobili quadam digitorum agilitate hominum fallere ſenſus, ita vt delicatiſsimæ ſimilæ nonnunquam permuta-

tim ſupponant aut furfures, aut putidius aliquid quod dicere nolo. horum imitatione, tuo ore impudentiſſimo aureas priſcorum patrum ſententias, frugiferámque doctrinam fruſtra vertere conaris aut in ſcoriam aut in quiſquilias. Quis tibi hoc credet, os impudens? Quære igitur peregrinum, aut tibi ſimilem aliquem furioſum, ſi tamen quis inueniri poterit. nam vicinia tota reclamat. Patrum ſunt eloquia caſta, argentum igne examinatum, cõmuni iam Eccleſiæ iudicio probatum, terráque purgatum ſeptulum. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. Teſtimonia eorum credibilia facta ſunt nimis. Tua verò tam ſpurca ſunt, támq; ab orbita deuiantia paradoxa, vt nulli ſanæ menti peruia eſſe poſsint. Neq; id mirum, quum ſcriptum ſciamus & aſſertum: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate. Penes eos eſt vena auri obrizi: penes te nec ſunt viliſſimi ferri ramenta. Frugifer eſt ager eorum: quum ſit maledicta terra in ſemine tuo, quæ nihil niſi ſpinas & tribulos generet. Erubeſce tandem, (ſi quid frontis habes) tibi vni arrogare, tam ingentia de te polliceri, vt nemo hæc audiat, qui non ſtatim expuat & execretur. Penes eos eſt fons vitæ, in quorũ lumine videmus lumen. Penes te, nihil niſi lacuna errorum, plen̄a veneno mortifero: quod quicunque hauſerit, hauriet mortem.

Hîc etiam, ſi eſt tibi verbum, reſponde Calui-

ne.

ne. Sin minus: ſit manus tua ſuper os tuum. Si patres latuit vera ſacrificij oblationiſque ratio, donec tu tertius è cœlo Cato cecidiſſes, ad quem vnum veritas permanauerit, & à quo huius myſterij reuelatio ortum ſumpſerit (quod tamen diuus Paulus negaret) quid igitur cenſes vbinam reſediſſet Eccleſia ab Apoſtolis vſque ad hanc tuam ætatem? Tota ne deliraſſet ſanctorum Eccleſiæ procerum veſtigia ſequens? Alios proferre habes prophetas, alióſque paſtores & Doctores, cùm iſti (te cenſore) aberrauerint, etiam ab ipſis fidei apicibus, tu igitur profer à Irenæo ad vſque noſtra tempora, qui rectius de ſacrificio & oblatione Euchariſtiæ ſenſerint propheticos interpretes, quos (authore Paulo) inſtituit ſuæque Eccleſiæ continuo tenore temporum adeſſe voluit hierarchicos inſtitutores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij donec occurramus in vnitatem fidei & agnitionem filij Dei.

Id cùm præſtare non poſsis: fatearis vel inuitus hos fuiſſe numinis afflatu illuſtratos, quorum per manus ad nos deuolutam obuiis vlnis recepit Eccleſia ſancta doctrinam. Hic opus eſt vt diſertis verbis reſpondeas, aut planè te victum fatearis. Hic enim ratione agendum eſt, non probris & conuitiis.

Ais pro innata tibi petulantia te nihil morari patrum ſententias. Quid iſtud ad Catholicos an moreris an potius moriaris, tot ipſe mortibus dignus, quot imprudentes & incautos trahis ad interitũ. Quid igitur moretur quídve non mo-

retur moria tua vaniſsima, nihil refert. Hoc tamen ſcias quòd nodum non ſoluit, qui litem lite reſoluit.

Redeundum eſt igitur ad rationes, & obiectis tibi obteſtationibus reſpondendum, niſi vis & inficiator & præuaricator haberi, aut certè chironomicæ facultatis, mimicæque impoſturæ callidiſsimus ex profeſſo artifex. Strenuè inuadendus eſt hoſtis, non effugio declinandus aut latebris, alioqui niſi id agis: victum te ac proſtratum fatearis oportet, id quod omnes de te fatebuntur pro parte catholicorum æpinicia canentes. Nec verbum vllum à nobis expecta, niſi potius neruoſa ratione quàm mimica aut hiſtronica tergiuerſatione, vt ſoles, rem tuam componere ſtudueris, ſcriptum enim eſt: Aut turpiloquium aut ſcurrilitas, non audiatur inter vos, quæ ad rem non pertinet. Arguendus eras nomine tuæ procacitatis impudentiſsimæ, cùm ſcriptum ſit. Primæ ad Timothæum quinto.

Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri terrorem habeant. Vbi autem de inquirenda veritate agitur, vbi ratio ceſſat, cedendum eſt prælio, eo ipſo authore qui ait. Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.

Tu igitur aut cede arena, aut ad omnia obiecta reſponde. Quæ ignorare non potes à viris ſanctiſsimis iuxta ac doctiſsimis ad ſtabiliẽdum miſſæ ſacrificium à multis iam diebus & annis ma-

gno

gno omnium catholicorum consensu non proposita tantum, imò verò stabilita.

Nos à fructibus arborem cognoscentes, mites de collibus vuas legimus, spinis sentibúsque reiectis Christi doctrinæ hærentes qui ait: Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? ita dico vobis: A fructibus eorum cognoscetis eos. Sed de hac rè latius postea. Et satis de hac perioche dictum sit.

Nunc te, non dico sequor, sed persequor euntem, inque erroris præcipitium ruere festinâtem. Tua hæc verba sunt nihil aliud quàm meram furiam spirantia. [Cùm ergo obiiciunt locum Malachiæ sic ab Irenæo exponi: Oblationẽ Melchisedec, sic tractari ab Athanasio, Ambrosio, Augustino, & Arnobio: breuiter responsum sit (inquit.) Eosdem illos scriptores alibi quoque lignũ interpretari Christi corpus, sed ita ridiculè vt dissentire nos cogat ratio & veritas.] Caluĩ.

Ludis & illudis cum nullum habeas effugium patrum interpretationibus eosque scommatibus insectaris, quantum nec villissimus in theatro scurra impurissimum scortum impetere auderet. Id pro tuo more facis, histrionico videlicet, imo potiùs canino. Canes enim rictum habent pro risu, & pro osculo dentes. Interim nihil promoues quod ad rem tuam faciat, hoc solum cogitans si qua elabi possis & inuictæ veritatis effugere lucem, ne in suæ sycophantiæ nido tua deprehendatur impuritas, & impostura. Vbi enim sensus exquiritur verborum Malachiæ, continuò Refutatio Calui.

transsis ad interpretationem verborũ Hieremiæ, nimirum à thesauris ad carbones. Sed dic tãdem rabula de tribus capellis, ne statim mutato nomine de te fabula narretur, quæ sic habet apud Valerium Martialem:

Non de vi neque cæde nec veneno.
Sed lis est mihi de tribus capellis
Vicini queror has abesse furto.
Hoc iudex sibi postulat probari?
Tu cannas mithridaticúmque bellum
Et periuria punici furoris,
Et syllas, marióſque mutióſque
Magna voce sonas: manúque tota
Iam dic Postume de tribus capellis.

Malachiæ hic sensus exquiritur. De Hieremia suo loco dicendum erit. Hic ergo te fugientem insequar, hæc enim, vti iam professus sum, mihi certissima mens est. Iam in aperto est Malachiæ vaticinium capite, primo dicentis: Non est mihi voluntas in vobis, munus non suscipiam de manu vestra. Cessare itaque debuit iuge illud veteris instrumenti sacrificium, vti futurum Daniel prædixit cap. 9. Deficiet hostia & sacrificium & vsque ad consummationem perseuerabit desolatio. Idémque 12. Cùm ablatum fuerit iuge sacrificium & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta, qui numerus penè senestre cum triennio, conficit. Sed hoc non contentus Malachias apertius rem totam aperiens, cap. 3. Sic ait: Purgabit filios leui

& colabit

& colabit eos quaſi aurum & argentum.

Sunt autem filij Læui pars quædam Selecta populi Iſraëlitici quibus ſuccedit Chriſtianum ſacerdotium à Laicorum ordine ſeparatum, vti Leuitæ olim à reliquo populo. Et continuò ſequitur: Placebit domino ſacrificiũ Iuda & Hieruſalem, ſicut dies ſeculi & ſicut anni antiqui. Quódnam igitur fore dicemus iſtud ſacrificium, non vetus illud antiquatum, ſed nec vllum aliud cordis ſacrificium ſeu laudis ſeu pœnitentiæ. Neque enim iugiter Deum laudamus, neque iugiter pœnitentiam obſeruamus. Nec eſt tam inſignis in nobis pœnitentia, vt cenſeri debeat Deo ſacrificium cæteris omnibus acceptius. Eſt igitur requirendum aliquod ad finem vſque ſeculi perſeueraturum. De quo ſcriptum eſt: Hæc quotieſcunque feceritis: mortem domini annunciabitis donec veniat, quod eſt omnium ſanctorum ſanctiſsimũ deo perpetuo gratiſsimum, & acceptiſsimũ. Eſt enim propiciatio nõ ſolũ pro peccatis noſtris, ſed & totius mũdi, de quo apud Pſalmiſtam legitur: Sacrificium & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi. Mihi inquam de quo in capite libri (aliàs in volumine libri) ſcriptum eſt: vt facerem voluntatem tuam deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Quin & illud adiũxit: Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi ecce venio. Quæ verba, omnium authorum conſenſu, ad ſacrum Chriſti corpus referuntur. Nam & hoc ipſum Paulus in Hebræis teſtatur. cap. 10. vbi ait: Au-

1.Cor.11.

Pſal.39.

fert primum testamentum, vt sequens statuat, in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel: Semel quidẽ si intelligas de oblatione cruenta, cùm tamen incruenta oblatio sit vsque ad finem seculi duratura, vti ex
1. Cor. 11. Paulo recensuimus. Hoc quotiescũque feceritis: mortem domini annũciabitis donec veniat. Hæc autem est oblatio illa sacrosancta, quæ præter eã quæ in cruce facta est: perpetuo in Ecclesia celebratur, vti futurum prædixerat Malachias, verbis præsentibus propter certitudinem futura pronũciãs: in omni loco, sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda, quia magnum nomen meum in gentibus, qua nulla mundior intelligi potest, cùm sit ipsa mundissima, vnica & perpetua vsque ad finem seculi duratura, cui nulli cordis mundicia conferenda est. Quis enim potest dicere, mũdum est cor meum. Si dixerimus, quia peccatum non habemus: nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Quo fit: vt ex verbis Malachiæ (adiuncto Psalmographi vaticinio, vna cum Pauli in Hebræis interpretatione) nulla alia colligi possit iugis sacrificij mundissima oblatio, Deóque gratissima: quàm semper ac super omnia venerabile Eucharistiæ Sacramentum. Rumpantur vtilia Codro Caluinico catholicæ pietatis hosti infensissimo. Quem hoc discursu medium teneri nemo sanæ mẽtis ambigere possit. Quod nec Græcos, nec Latinos latuit authores. Nam & Theodoretus ex priscis patribus vnus præter alios, quos commemoraui, apertè profitetur Malachiæ vati-

vaticinium mundum & candidum, & incruentum gentium prædicere ſacrificium. Móxque ait ad Iudæos loquens: Funditus vos reiiciam, victimas quas offertis execror, quarum loco omnium, habitatores terrarum quas ſol oriens & occidens ſuis radiis illuſtrat, cùm vbique incenſum offerent, tum etiam ſacrum, purum, & mihi gratum conficient. Et hoc eſt venerabile Euchariſtiæ ſacramentum quo ſacratius nihil confici poteſt. Et tamen ad ſolitas impudentiæ artes recurrens, Gregorios, Ambroſios, Auguſtinos, vniuerſámque catholicorum panopliam piſtillo caluior Caluinus compendiaria vna voce, nulla dignitatis habita ratione, à ſuæ peſtilentiæ ſinagoga depellit, quos tamen Chriſtiana pietas ad vnum omnes magna veneratione recipit. [Illos (inquiens) ſcriptores ita ridiculè Hieremiæ verba expoſuiſſe, vt diſſentire nos cogat ratio & veritas.] Qui dicere potius debuit obſtinatio & impietas. Hic enim diſſeritur de verbis Malachiæ in ſuum tempus, relegato vaticinio Hieremiæ: Sed citius aquam è pumice haurias, quam ex hac pica euangelica vel minimam modeſtiæ ſcintillam elicere poſsis. Hic reſpondeat Caluinus, aut omnino cedat Arena. Nunc alio pugione confodere nititur piis omnibus venerandum miſſæ ſacrificium.

Caluinus.

Refutatio

[Deinde (inquit) ſilentium Apoſtoli vice probationis eſſe nobis debet, quia nunquam prætermiſiſſet quod tam appoſitè dicturus erat: ſiquidem potuiſſet verè dici. Non eſt ergo quòd

Caluinus.

vel Ambrosium vel alium quempiam ex tota veterũm cohorte acutius vidisse putemus quàm ipsum Apostolum.] Sed nescis improbe, nescis locum ab authoritate inficiatorium nullius esse roboris aut momenti ad stabiliendam quam ex aduerso opponis sententiam. Nescis, inquam, scriptum esse plurima signa edidisse Christum dominum quæ non sunt scripta in libro hoc, vt Ioannes ait: Hac enim ratione negabis quadragenaria illa inter apostolos conuersatione suos discipulos instituisse, quum nihil de ea re scriptum extet: Cùm tamen certo certius constet plurima instituisse ad regnum Dei pertinentia. Quid quod & Paulus ipse profitetur se dicendorum mole ita esse oppressum: vt plurima ex eis in aliud tempus exponenda differret. Cætera, inquit, cùm venero, disponam. Quod ergo ais Paulum appositè dicturum de sacrificio si quid potuisset verè dici: hac ratione ex opposito colligeretur nihil posse verè dici, nisi quod disertis verbis Paulus expresserit. Sic ergo argueres Paulum mendacij, qui ait: Cætera cùm venero, disponam. Fateri ergo necesse est multa eum disposuisse quæ scripta non sunt. Ruit igitur tuę ratiocinationis stupidissima collectio, nisi velis Paulum arguere fluxæ promissionis & fidei. Desine tãdem ineptire Rhetorcule philosophaster, inque teipsum descendens videto quàm corniceris ineptè.

Refutatio. *Ioan. 20. & 21.*

Prodit in theatrum nouam iam personam indutus Caluinicus histrio mimicæ sibi quodam-

modo

modo arrogans prophetæ, aut, si fas sit dicere, plusquam prophetæ, officium.

[Video (inquit) quid dicturi sint qui miscere Christum cum Belial parati sunt, modo qualemcunque pacem redimant. Nam & hominum noui ingenia, & dicteriis pridem assueui.] Caluinus.

Hic tu mihi vide, Christiane lector, quo se proripiat pseudochristiana ista simia, quo transuolet sciurus iste vmbratilis catholicæ tantũ larua doctrinæ. Videt (inquit) non tantum quæ cogitant catholici: imo vero quid in posterum dicturi sint. Quos etiam illustri (scilicet) notat encomio, filios Belial vocans. Id autem agit scurrili quodam astu, hostem præueniens, non in benedictionibus dulcedinis, verum in maledictionibus amaritudinis, ne scilicet præueniatur ab hoste. Et id quidem suo more agit planè sycophantico. Sycophantæ enim partes sunt hoc ipsum quo laborat crimine: in aduersarium coniicere. Quis enim sub hoc (qui omnia respicit) sole, eo nomine dignior est quàm ipse tu, pestilentissime Caluine, quum sis non solùm sine iugo, imo & aliis iugum imponere tentes: quod nullus piorum recipere velit, & iugum iampridem abieceris cui, velis nolis te alligatum esse oportuit. Tu igitur (vt si quis alius) palam agnosceris esse filius Belial sine iugo. Refutatio

Cæcus iste suo arbitratu omnia videt, omnia rimatur etiam secreta cordium, quæ sint, quæ fuerint: quę mox ventura trahentur. Quin & hominum nouit ingenia, homo (videlicet) inge-

niosus, & ad mimicam bellè ingeniatus, nempe ad dicteria pridem assuetus. Sed quum hæc tanta se nosse glorietur: solus ignorat quam omnes è longinquo contemplantur profundissimam suam ipsius cæcitatem. Dicis quia diuersum, & nullius egeo (Ganeo deploratissime) & nescis quia pauper es, & nudus, & cæcus. Quis hoc tibi concesserit, quòd hominum ingenia penetres? Tu vero tam stupidus es: vt nec tuum ipsius stuporem agnoscas: qui eo processit insaniæ vt verba tibi prius veniant in buccam, quàm in mentem. Si quæ iactas vera essent: in tuo tamen ipsius ore spurcissimo multis nominibus sordescerent. Sed hæc modica sunt, si cum sequentibus conferantur. Quæ quis vt audierit: ad primam vocem horrescet. Referenda tamen sunt quæ inflatis buccis exsibilare audet turpe hoc Caluinatis guttur onocrotali.

Caluinus. [Nec mirum est (inquit) nos hoc nomine ab illis accusari. Loquuntur enim vt sentiunt, sed cum nobis melius sentire datum sit: confiteri etiam oportet quod credidimus.] Refutatio Qui rectius dixisset, confiteri oportet quod pridem credere peruicaciter desiimus.

Hic te conuenio pseudoeuangelice. Catholici loquuntur vt sentiunt. Tu vero vel omnino mente cares, vel renitente loqueris conscientia. Si loquuntur vt sentiunt, iam fucus omnis abest: apud te autem, quid aliud latet quàm simulata æquitas? Quæ certè dici non potest æquitas, sed duplex iniquitas. Loquuntur catholici (te etiam iudice)

iudice) vt ſentiunt, ſed à ſeipſis non loquuntur: qui à ſanctiſsimorum patrum oraculis pendent. Tu vero à teipſo loqueris, qui nullum extra te, citas authorem. Ideóque ineluctabili euangelicæ veritatis ſententia impoſtor es & mendax. Qui enim à ſeipſo loquitur, mendax eſt, & veritas in eo non eſt. Hic etiam te victum fatearis oportet: Chriſtus nec operum teſtimonium recuſauit, dicens: Opera quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me.

Nos huic documento adhærentes, patrúmque conſiderantes opera, & miracula: procerum omnium, eccleſiæ conſenſu, confirmatam eorum ſequimur doctrinam, quorum admiramur vitam. Nam & vita doctrinam, & doctrina vitam in eis commendat: & vtrunque & ante mortem, & poſt edita miracula probarunt vti etiamnum probant. Quis iam dubitet ab huiuſmodi arboribus fructus decerpere ſuauiſsimos? eccleſiam agnoſcimus, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, reliquóſque proceres exoſculamur & amplectimur. Denique (vt eſt in Actis) IESVM agnoſcimus, Paulum ſcimus: Vos autem, qui eſtis, aut vnde veniſtis pſeudoprophetæ Caluinates, quorum nemo queat patriam monſtrare parentis, qui nec patrem CHRISTVM: ſed vice eius Antichriſtum, nec matrem eccleſiam, iam non filij, ſed adulteri nec proceres eccleſiæ fratres agnoſcere dignamini.

Quibus illud cõpetit: Alienati ſunt peccatores à vulua, enarrauerunt ab vtero, loquuti ſunt fal-

ſa: Quibus ineſt furor ſecundum ſimilitudinem ſerpentis obturantis aures ſuas, ne audiat vocem incantantis, vocem (inquam) incantantis ſapienter. Nos à fructibus eorum patres eorúmque doctrinã (quod Chriſtus dominus fieri iubet) agnoſcimus: vos documẽta datis, qua ſitis origine nati.

Tu vero pie lector ex hoc vno, quod mox ſequitur, intelliges, quàm verum ſit quod apud pſalmigraphum legitur: Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper, atque ita aſcendit: vt vltra progredi nequeat, nempe ad Luciferianã atque adeo Antichriſtianã petulantiam ac blaſphemiã, quã quoties: ſe offert horreſco referens.

Caluinus. Cum nobis (inquit furcifer ille) melius ſentire datum ſit: confiteri etiam oportet quod credidimus, & quò tentatori dæmoni propior aſſiſtat, literam etiam ad ſe trahit repugnantem ſcriptura contra ſcripturam ſe protegens. Credidi (inquit) propter quod loquar.

Refutatio Mentiris perfide Caluine, imo iampridem iugo catholicæ fidei abiecto, credere deſiiſti propter quod rane inſtar ſeriphiæ obmuteſcere debueras, multo conſultius acturus, ſi eſſet manus tua ſuper os tuum. Cum ſcriptum ſit: ſtultus ſi tacuerit: ſapiens reputabitur.

Hic etiam nouam perſonam induit, vt mim⁹ in theatro, Caluinus, nempe legiſlatoris, & quidem noui, addo etiã & nouiſſimi, cum dicat ſe Apocalypſim habuiſſe. Sed qui reuelationem adfert (iure omnibus notiſſimo eam ipſam vel miraculo vel

lo vel

lo vel certo aliquo teſtimonio probare habet. Si tibi aliquid reuelatum eſt: vnde & quanto ha bueris doce. Quænam eſt doctrina hæc noua Actuū.17
quam numinis afflatu receptam dicis te oportere profiteri? Spiritus ſanctus non diſſentionis Deus eſt: ſed pacis. Eccleſiæ ſuæ iampridem ſuā veritatem reuelauit. Hanc quæ ſit neque vnde ſit nouimus. Vide quo te tua philaucia perduxerit. Lucifer in pari cauſa è cœlo in tartara decidit, qui ſolus præ cæteris diuinitatis ſpeciē quādam ambire videbatur. Idolum abominationis Antichriſtus (vt in Theſſaloniſſenſibus diuus Paulus annotauit) Chriſtianæ diſſeſſionis author, homo peccati, filius perditionis hoſtis eccleſiæ, præ cæteris ſe efferre conabitur, quem tu pro viribus imitaris, te nouum catholicæ doctrinæ legiſlatorem conſtituis, omnibus inſultans, cæteros omnes deſpiciens, qui pluſquàm Chryſipus olim ſolus ſapis & id quidē in re pia ac religioſa, ille autem in re tantum prophana, nec alium (vt ille quondam) agnoſcis à quo poſſis inſtitui patribus nihil relinquens, imo eos aut falſos aut fallaces innuens tibi vni arrogas catholicæ religionis vrim & thumim, hoc eſt ſcientiam & doctrinam. Qua impudentia neſcio quid breuius continet omne ſcelus.

Et hæc eſt (vt ais) lex quam piis omnibus fert ſpiritus. Tu vero cùm ſis non impius tantùm verum impietatis conſummatiſſimę exemplar: longè abes imo longiſſimè diſtas ab ea lege ſpiritus quam aſſumis per os tuum impudenter. Non eſt

hæc ſapientia deſurſum (vtpote animali deterior & carnali) hæ enim ſuum errorẽ agnoſcunt, (carnales inquàm & animales) ſed potius diabolica, vt pote ſui ſemper ſimilis ; imo ſeipſam nequitia ſuperare contendens, quæ etiam fato cedere malit: quam male ſemel cõceptæ, peius aſſertæ, peſſimè promulgatę opinioni, cuius peruicaciæ iudicium eſt.

Caluinus. [Quod ſubdis: Credidi, propterea loquar.]

Refutatio Ego vero contra, iubeo te cępas edere ac dicere: Credere deſij, propterea recti⁹ perpetuum mihi ſilentiũ indixero. Nũc pergendum ad reliqua.

Caluinus. [Cùm nuper mihi à bonis viris narratum eſſet cornutum quendam ex fœtido papalium epiſcoporum grege caprum, qui iampridem medius inter cœlum & inferos volitat, ita ſolere loqui. Nullam ſibi videri cauſam, cur fucatam hanc moderationis formulam amplecti recuſaremus, &c.]

Refutatio Iam videre mihi videor tricipitem cerberum prodeuntem ex inferis, omnibúſque tàm ſacris quam prophanis ordinibus oblatrantẽ, dum hos cornutos, fœtido alios de grege capros, nebulones verò conſules, quandóque etiam filios Belial, planè inclamare audet. Interim diſſimulãs ſe eſſe epicuri de grege porcum, imo totius ſuillæ cohortis prodromum & anteambulonem.

In hac ſanè cauſa non tàm ſimile eſt ouum ouo quàm Gryllus ille homericus Caluino. Ita enim alter alterum imitatur: vt vter magis nequeas dicere. Gryllus enim (vt eſt in fabulis) cùm carminibus circeis incantatus verſus fuiſſet in porcum,

rogaretúrque

rogareturque à commilitonibus ſuis, vt porcinã exueret, humanam vero & mentem & conditionem reſumere vellet: nullatenus induci potuit, vt id faceret. Quin potius monitores ſuos increpás, nihil iniquius eſſe agebat ſorte ac conditione humana, vt quę innumeris vitiis laboraret. Vos (inquit) homines eſtis multa cæde madentes, luxu diſſoluti ac perditi, delitiis fracti, fraudib⁹ innumeris impliciti, fluxæ fidei, alter alteri odioſi & inuiſi. Ideóque omnia prius malim quàm meam hanc, quam videtis, ſuillam conditionem exuere, veſtra recepta. Non ſecus hic ſe habet impoſtor noſter Caluinus, qui eos à quibus monetur vt ſaniorem induat mẽtem, probris ac conuitiis incredibili inſectatur impudentia, vt hoc ſaltem prætextu habeat vnde ſuum tegere poſſit errorem. Quaſi vero eo ſit ſua conditio melior, quo aliorũ vita ſit improbior, quem eoúſque inſanire delectat: vt innocentem inuoluat cum nocẽte, nec vitia inſectatur, ſed perſonam potius atque officia, cùm tamẽ delictum perſonæ non debeat in piorũ ſacrorúmq; magiſtratuum detrimentũ redundare. Pileat⁹ ipſe ac auriculat⁹ comatulus ac calamiſtrat⁹ militari ſchemate ſacris ſe immiſcẽs eloquiis ridet infulatos præſules cùm tamẽ ſanctiſſimi ab initio naſcẽtis eccleſiæ patres ac proceres hanc nobis formam incedendi per manus tradiderint, qua libidine contradicendi, non tam nos quã Chriſtianæ religionis obſeruatiſſimos Chriſti martyres ac confeſſores ſuo ore ſpurciſſimo conſpurcare non erubeſcit. Atqui longè aliud

eſt vitia carpere, aliud pias patrum cæremonias dente canino lacerare. Sed hoc pro ſuo more agit cùm nihil aliud habeat quod improperet ne ſcilicet deſit ſuus Luciniæ cantus.

Iam quod ſupereſt oraculum à perſonato Alexandro emiſſum, audiamus:

Caluinus. [Reſpondi quod de Alexandro hiſtorici referunt: Me, ſi eſſem eius loco, non recuſaturum: illum vero, ſi mihi eſſet ſimilis, idem facturum, quod nunc me facere miratur.]

Refutatio Nemo tibi Alexandri perſonam inuidebit, ſed vide ne non ſit illius Alexandri Macedonis, quin potius eius, cuius meminit ad Timothæum Paulus ſecundæ nouiſſimo capite: Alexander ærarius multa mala mihi oſtēdit: reddat illi Deus ſecundum opera eius, quem & tu deuīta multū enim reſtitit verbis noſtris. Quod ergo in ſe perpetra tum quæritur Paulus: hoc ipſum mater eccleſia iure & quidem iuſtiſſimo in te torquere poteſt. Ille vt ais infulatus medius inter cœlum & inferos volitat. Tu vero recta pergis ad inferos, alióſque tecum turmatim tuis verborum Lenociniis attrahis nō minus arſurus cū multis, quàm ſi ſolus arderes.

Proinde caueto ne in eadem damnatione ſis cō ſtituendus. Quod autem profiteris te nō recuſaturum conditionem propoſitam, ſi eſſes illi ſimilis (nempe paſtori catholico) Cum autem Caluinus ſis negas te cōditionem oblatam recepturū. Quod dicis verū eſt, diuerſa tamen mente. Quādiu eris Caluinus tui ſempérque & vbique ſimilis,

lis, fateor te omnem catholicorum conditionem recuſaturũ. Sed illud ſummis votis à Deo clemen tiſſimo expetere debueras vt mentem catholici indueres, cui te profiteris eſſe diſſimilem. Sed quã tibi ſuffenus ſis, tibi vni parcens, reliquos expuẽs ſequentia verba declarant.

[Nam eiuſmodi homines, qui Chriſtum abnegando tot annos ſunt exercitati, ſimplicitatẽ noſtram probro vertere cur miremur: Cum ſubſannare Deum ipſum non dubitent?] Caluinus.

Hydram mihi ſecare videtur qui cum hoc verſatili Proteo negotium habet, vno ſiquidem reciſo capite, plura renaſcuntur, citius augiæ cloacã exhaurias: quàm Caluinicæ improbitatis cœnoſam lacunã cui conſuetudo obiurgandi & conuitiandi ſuæ improbitatis ſenſum ademit. Cenſore Caluino catholici Chriſtum abnegant, & ad id longo vſu ſunt exercitati, cætera conuitia tolerare Chriſtiani hominis eſt: iſtud autem ferre nemo ſalua pietate poterit. Diuus Ludouicus quoties de abneganda fide ſermo haberetur horripilationem ſtatim voce audita ſe pati ingenuè profitebatur. Et hic diris iampridem deuotus hęreticus, catholicos nullo habito delectu, inſimulat perfidiæ & Chriſtianæ religionis abnegatæ. Proinde nõ miratur ſuam Deo & hominibus exoſam ſimplicitatem ab eis traduci. Sed quænam eſt iſta vulpina ſimplicitas, omnibus inſultare, incautos fallere, ſibi vni tribuere Chriſtianæ religionis apicem, reliquis in tartara deiectis? Hæc eſt Caluini toties refricata cicatrix, hic furor indubius. Hæc Refutatio

eſt manifeſta freneſis, vt, magnifice de ſe pronuncians, execretur reliquos, in quocunque aut gradu habeantur aut numero. Simplicitas nomine gaudet vir ille apoſtata duplex animo, inconſtans in omnibus viis ſuis. Quæ canina rabies, vrſina feritas? Leonina ferocia? quæ vulpina vafricies? huic ſcelerum omnium fœdiſſimæ lacunæ valeat comparari?

Sed & hoc habet cum Bonaſo cornuta fera, cornu tamen in ſpiram verſo (& ob id magis imbelli) eadémque olida belua commune. Qui vt euadere poſſit perſequentium venatorum impetum in media (qua illis tranſeundum eſt) via, omni fœtore putidius latiſſimè ſtercus effundit, offundítque naribus perſequentium vt vel hac vna vix tolerãda moleſtia compulſi retro pedem greſſúmque vertere cogantur, hac ſcilicet arte Caluinatium tetra cohors vti ſolet vt ſcilicet conuitiorum impuro halitu, viperáque virulentia ſi qua ratione poteſt abſterreat catholicæ religionis zelo accenſos, ab hæreticorum impetitione. Sed his præſtigiis minime abſterrentur pij ac religioſi Chriſtianę fidei defenſores nõ ignorantes quid Paulus in Corinthiis dicat. In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & tamen veraces, non enim commouẽtur vere pij picarum garrulitate euangelicarum vmbratilium tantum Chriſtianorum ſpectris laruíſque pietatis ac religionis.

Interim

Interim ſubito dum neſcis perſonam mutat perſonatus noſter mimus ſimplicitatis velatus imagine,ſed mentiri non poteſt pellis ouina lupum niſi ante clamorem. Qualis enim ſit vox ipſa indicat. Sed ita eſt fronte perfricta, vt cunctis notiſſimam vafriciem non erubeſcat.

[Homines,inquit,perditos(de catholicis loquẽs)ſimplicitatem noſtram probro vertere, cur miremur?] Caluinus.

Tu verò tuarum ipſe laudum vnicus buccinator & præco,nihil niſi fucatam effers ſimplicitatem,quàm vero temerè aſſeris eſſe hanc,non eſt vera ſimplicitas ſed ambitioſa vulpináque duplicitas. Quodnam enim malum eſſe poteſt prodigioſa iſta ſimplicitas,ſummis ſe aſtris inſerere, & pios omnes in ima deiicere, aliud ore præſtare, aliud gerere in pectore?pl⁹ in eo fellis quàm mellis habere? manu altera oſtentare panem, altera geſtare lapidem?ſpiculo linguæ triſulco hierarchicos omnes ordines,ſummos,medios,infimos vrere & contaminare,pios habere pro impiis, & ſcurris & ſcortis potius placere quàm modeſtis? Probos in crimen adducere:improborum crimina tegere ac diſſimulare?imo perſonarum vitium virtutis loco commendare?Non eſt hæc iuſti ſimplicitas quæ deridetur ab improbis,ſed iniuſti tecta duplicitas, quam cordati omnes execrantur & probi. Ab ea longè aberrat, Iob ille Deo acceptiſſimus vir ſimplex & timens Deum, recedens à malo & permanens in ſimplicitate & innocentia. Hanc ego ſimplicitatis vmbram meritò Refutatio

reſpuam quæ virulento caudæ aculeo obuios quoſque inficit & ad deſperationis ima perducit. Hanc nemo tibi inuideat quam melius eſt te ſolũ habere, quàm plures quanquam optabilius foret (ſi id tua peruicacia admitteret) vt ab ea citius manus excuteres. Fortitudo ſimplicis, via domini, extra quam toto aberras cœlo, ideóque neceſſe eſt vt corruas in malum. Si quippiam à te pudor impetraſſe poſſet, protinus in te deſcendens cõfunderetis, quod Chriſti abnegatores pios facias te vero ſimplicitatis obſeruatorem nemine tecum conſentiente contendas, ſed improbitas nullo lenitur aut vincitur eloquio. Apageſis igitur cum tua ſimplicitate alio nos vocãt quæ mox ſequuntur ex tuis inſectanda ſermonibus.

Prou.10.

Caluinus.

[At nobis tanti eſſe debent cœleſtis præcepta magiſtri vt pro his ad extremum dimicare non dubitemus.]

Refutatio

Deberes quidem cùm diuerſum ſequaris, & quod verbo ais, facto neges: ſed multa ſcias oportet quibus Deum fallas. Interim non exprimis quo genere certaminis ſis dimicare paratus, verbo ne an ferro, & an iuſta ratione an conuitiis tantum, qua arte & teipſum vincis & cæteros. Iam ſi rationibus agendum cenſes: tu dic tantum quo iudice certes, qui eccleſiã nolis habere iudicem imo reipſa iugum omne cenſuræ detractas, etiam ſi diuerſum verbo ſimules. Tu quoque hic etiam (ſicubi alias) belle admodum ſycophantiſas, improbe Caluine. Quis enim non videat ſub his verbis apud vere cordatos certiſſimam latere impoſturam?

poſturam? Ais enim (vti à fide dignis intellexi) te quoduis ſupplicum ſpontè perpeſſurum quoties te euinci contigerit & cadere à cauſa. Interim non dicis ſub quo tribunali quoue iudice certare paratus ſis, cùm tamen huic totius cauſæ cardo pēdeat. Non immemor illius vel fabulæ vel rei geſtæ, de eo qui precario obtinuit vt per gratiam iudicis liceret ſibi deligere arborem, qua ſuſpendio vitam finiret: quando ita erat in fatis vt confeſtim eum mori oporteret. Cùm autem multis oblatis nullam acceptaret: hac ratione ſperabat ſe euaſurum mortis ſententiam. Hoc aſtu mihi vti videris cū ſcias nuſquàm apparere iudicē cōpetētē, & eorū quibus nolis velis iuriſditioni te ſubeſſe oportuit, effugeris tribunal. Quod ſi ita pergis fucatis technis ineptire: quis nō videt hæc tua verba meram olere impoſturam? Quæ dicitis eſſe perſpicuè euangelica, nos planè negamus: quas veras dicitis eſſe interpretationes, nos meras dicimus impoſturas. Quæ ſtatuimus, priſci eccleſiæ paſtores magno conſenſu ſtabilierunt: quæ tamen omnia floccipenditis: quos in vobis patres fucos agnoſcunt, technas impoſturáſque innumeras, & Euangelica impudenter aſſeritis oracula. In his omnibus, quis erit communis cenſor & iudex, veſtri ne, iampridem faſcinati, imo verius exoculati, & vti olim Chore Dathan & Abyron, quos terra dehiſcens abſorbuit, nube ſciſmatis inuoluti? Abſit. Quis enim ſub deplorato iudice certet? nulla eſt ſentētia ſub indigno iudice tuta. Quod ſi catholicos qui ſuperſunt, iu-

dices nõ admittis:inventũ verba iactatis.Hoc tãtũ nobis ſupereſt vt proferam⁹ eccleſiæ põdus &
Mat.16. auctoritatem (aduerſus quem portæ inferi præualere non poſſunt) patrúmque priſcorum ſententias,quibus nemo niſi præfractus obuiam ire poteſt. Vos ergo nihil aliud quã ad fallẽdum verba componitis,verum ad populum phaleras, veſtris enim præſtigiis iam ſatur eſt mundus,ſatis ac plus ſatis intelligens,vos nihil aliud machinari quam fallere tempus, nectere moras,fumoſq; ſimpliciorum oculis offundere , verum hæc omnia fruſtra.Iam enim reuelata eſt prudentioribus (cœlo , terráque teſtibus) ſimulata veſtra æquitas , ac omnino hiſtrionica impoſtura.

Vis dicam teque ipſum,veluti in ſpeculo videri ſolet ſimulachrum,tibi opponam: vt te aliquando agnoſcens rubore perfundaris quod iam feciſſes niſi pridem oblita ſui mens te deſtituiſſet, nempe excæcatum propria iniquitate, orcíque familiæ à multis iam diebus & annis tua ſponte additum,vt qui omnia malis quam impiè aſſertorum recantationem. Sed id vſui eſſe poterit his quibus impietas nondum imas viſcerum medullas occupauit. Dicam igitur , & vere dicam magnus es ardelio , maximuſque viciſſim ſimulator ac diſſimulator, nam quod ſummopere te deſiderare fingis : hoc ipſum eſt , quod maximè auerſaris. Omnia enim concedis . Rurſum negas omnia,quæ fugis inſequeris , probata reprobans aſſerta pernegans, diſſimulata ſimulans. Oſtentas te velle iuſtam in rebus controuerſis concer

concertationem, ſed nullo qui tibi placere poſſet delecto deligendóve iudice,aut agonotheta. Deinde quis tecum certet niſi communibus armis? Tu verò nulla recipis arma cõmunia, nulla deintegro patrum placita, niſi quòd fruſtilatim quædam aliquando recepta reſpuis, & pro occaſione data, abiecta recipis. Nos verò à patrum placitis in abſtergendis nubilis aut obſcuris ita pendere ſolemus, vti à magnete ferrum. Nihil te mouent conciliorum decreta, quin omnia veluti luto cõſperſa,cœnóque oblita,pedibus conteris & conculcas. Vſus Eccleſiæ ad multas annorum centurias continuus à te nec vitioſè nucis præcio æſtimatur, cùm tamẽ facta ſint interpretatiua dictorum vti & dicta factorũ. Sed ſcriptura ſupereſt, id quod ita tu miſer inclamas vt ſtentora vincere poſsis. Sed neſcis perdite,neſcis ſcripturæ veram germanáque intelligentiam ab his quę dicta ſunt hauriendam eſſe. Tu enim laruam ſequeris non ſcripturam,tu frondes,non radicem, tu fictitium odorem,potiùs quàm genuinum ſaporẽ tibi vſurpas: non eum quem patres viri ſpirituales exquirentes inuenerunt. (Nam ſpiritualis omnia diiudicat) erant enim tenaciſsimi & iuris & æqui. Tu verò ſectaris ea quæ nihil aliud quã carnem carnaliáque ſapiunt: Spurcos concubitus, Licẽtiam Antichriſtianam,apoſtaſiam,periuriáque paſsim commiſſa aut committẽda ſuadent, merumque, apud omnes rectè ſentientes, vitiorum omnium putorem olent potius quàm redolent. In his non eſt locus communibus armis. Quæ cum ita ſe ha-

bere ſcias, ita dictante conſcientia, & quam effugere nequis ſyntheriſi, tu tamen diſsimulando ſimulas te nihil magis habere in votis, quàm æquo marte ſuſcipiendam in cauſa communi ſyncero (vt fingis) animo diſceptationem. Sed quã dicis eſſe hanc, quomodo vera concertatio eſſe poſsit: cùm nihil eorum recipias quæ pro cõmuni fundamento ac munimine ſubſternere opus eſſet. I nunc, & alios quæras, quibus tuos fumos offundas, tuáſq; opponas laruas quæ neque diu neque multis niſi quos aut nequitia faſcinauit, aut philautia excerebrauit, aut certè exoculauit auaricia, & ſubleuandæ inopiæ cupiditas incantauit impo nere poſſunt. De te verò tuíque ſimilibus, nihil
Eccleſ. 12. aptius dici poteſt quàm quod Sapiens ait: Quis medebitur incantatori à ſerpente percuſſo?

Hoc igitur orbi vniuerſo proponendum reſtat quod populi omnes audiant, docti pariter & in-
Pſal. 48. docti, ſimul in vnum diues & pauper. Heroum in tota Eccleſia, Martyrumque & confeſſorum chorus vniuerſus. Verbo & executione æditíſque in eam rem voluminibus anguſtiſsimum miſſæ ſacrificium conſenſu vſúque cõtinuò probatum, commendarunt, commendatum miraculis illuſtrarunt. Refuga Caluinus id pernegat: vtri partium accedendum cenſetis, ô viri quicunque quibus ineſt vel mica ſalis vel recti ſcintilla iudicij, nemo eſt qui non dicat orbem catholicum, vna iam deplorata vrbe, maiorem, nec eſſe tranſiliendos terminos quos ſtabilierunt patres illi ſanctiſſimi, pluríſque eſſe æſtimandam orthodoxorum

fidem

fidem: quàm refugæ & desertoris vnius perfidiã, piorúmque modestiam, atrocissime vnius impietati præferendam. Tametsi enim obseruet impius iustum, & quærat mortificare eum: dominus tamen irridebit illum, & prospicit quando veniet dies eius. Veniet autem vbi primum defossa fuerit peccatori fouea. Cedat igitur syluestris veris pendens labrusca racemis, cedat vmbra luci, cedant glandes frugibus oblatis, & ad manum catholicorum positis. Qui enim missam celebrarũt Ecclesiæ sanctæ proceres: à fructibus eorum facilè dignoscuntur, ab his quos dum canes speras, experiare lupos. Caluinus de se testimonium perhibet, & testimonium suum nõ est verum. Vnus, inquã, Caluinus sibi suffenus vni, sed cui ita occaluit cicatrix, vt sensum iam illi ademerit, qui vti etiam Meuius alter sibi tantùm ignoscens, reliquorum nõ tam vitia quàm virtutes, atque adeò synceram fidem insectatur, cœlo terræque probatam. Nos patrum dicta factáque sequimur domino cooperante & sermonem confirmante sequẽtibus signis.

Psal. 36.

Marci. 16.

Eat nunc Caluinus & sibi quærat quibuscum legitimis ac communibus armis dimicare aut velit aut valeat. Ego interim ad cætera pergo.

Iam quasi ad se videatur reuersus, cum tamen à diuinis humanisque legibus sit longissimè auersus, amoto vult quærere seria ludo.

[Nunc pergamus (inquit) ad magis seria. Corpus & sanguinem filij Dei missarius Sacerdos in sacrificium se offerre dicit. Actio est prorsus diuina, ad

Caluinus.

uina, ad quam nemo nisi cœlitus vocatus ingerere se debet. Nam cum de legitimo sacerdotio disputat Apostolus, nulli tantùm honorem concedit, nisi cui Deus contulerit: vt ipsum quoque Christum dicat oportuisse patris vocatione institui.]

Refutatio Hactenus respersam, tuis fœdissimis probris ac conuitiis, & contaminatam fabulam bellè scilicet peregisti (histrio petulãtissimæ) contumelias omnes pro iocis habens, quæ ipsissima immanitas est. Facit enim immanitas de crudelitate ludum vt iam merito dicaris monstrum in Republica Christiana horrendum, immane, ingens quòd in hoc potissimum natum videatur vt omnem Christianæ disciplinæ indolem & prouentum conculcet & proterat. Sed quænam sunt ista seria, (obsecro) seriosa ne, an iocosa conuitia? tibi ne videntur contemptim appellandi missarij sacerdotes hierarchici ordinis proceres: Diui, Gregorius, Martinus, Bernardus, ac reliquus secerdotum, procerúmque Ecclesiæ chorus? Sed esto: sunt missarij Hierarchæ & sacrifici. Tu verò quis es, qui alios missarios vocas? Tu certè non missarius es, sed potiùs emissarius hircus, olens & petulans cornu obuios quosque feriens, qui teipsum perpetuò damnans exilio tuis potiùs quàm alienis criminibus onustus, tibi cauens ab imminente incendio: atque etiam metuens grauiora pericula veris, in desertum inque tuarum lustra ferarum te coniecisti, in quo nihil aliud quàm prædam diurnam no-

ćturnám-

ćturnámque vna cum tuis commilitonibus, meditaris, veluti enim Leo rugiens, incautósque seducens: circuis quærens quem deuores. Non tamen deerunt qui tibi in faciem resistant, fortes in fide, quíque in prædam è faucibus tibi præripiant. Sed quid ait hircus iste emissarius?

Actio est prorsus diuina ad quam nemo (nisi cœlitus vocatus) se ingerere debet.

Quænam est ista actio, nónne corporis & sanguinis filij Dei consecratio? Si est prorsus diuina: cur eam tantopere prophanas atque contaminas? Negabis os impudens sanctorum patrum chorum, nempe Chrysostomum, Basilium, Gregorium, à Deo fuisse vocatos ad id munus obeundum.

Quòd si vocati sunt. (Vt negari non potest) alioqui iam perpetuis essent addicti suppliciis quod est vel de somnio cogitare nephandum. Quid ergo inculpas missarios sacerdotes quòd missam celebrent: eo quo sanctissimi patres more peregerunt? Vel eos igitur damna vel teipsum condemna, téque iam reum peractum agnosce.

Quod autem de vocatione ais: quis te ad tua execratissima sacra vocauit, cùm nemo ex sacerdotibus, nisi ritè vocatus & admissus, ad sacra peragenda recipiatur? At tu quo diplomate ostendere poteris ad eum, quem vsurpas magistratum per pastorem aliquem legitimum te accersitum fuisse ac vocatum? Nemo te vocatum dixerit ad alendam eam quam foues seditionem,

nisi

nisi à sinistro illo genio perditissimorum spirituum principe Satana mendacij & seditionis au-
Ioan.13. thore. Qui vt immisit in cor Iudæ vt Christum dominum traderet: ita te eo perduxit, vt sponsæ eius ecclesię sacra profanares, & sanctissima quęque dilaniares, ac dilacerares. Restat nunc tui iaculi aciem retundere scuto videlicet orthodoxæ
Ephes.6. fidei, quo authore Paul. omnia inimici tela ignea extingui solent. Sic enim argutaris.

Caluinus. [Si perperam (vt ais) ac præter ius & fas sibi honorem vsurpat, qui sacerdotio fungitur non vocatus à Deo: nunc ostendant sacrifici missales, quo Dei mandato Christum offerre ausint.]

Refutatio Tu sacrificos missales vocas, quum sis execratissimus hircus emissarius. Quis iam non malit istam quam quæ tuis ossibus hæret in se recipere conditionem? Sed ad rem. Iam diximus vocatos fuisse à Deo Chrysostomum, ac patres reliquos, qui ad id munus obeundum, nunquam se iniecissent, nisi cœlestis numinis afflatu instituti & edocti. Quod signum igitur requiris, quòd authore Deo id fecerint, nisi illud euangelicum: A fructi-
Matth.7. bus eorum cognoscetis eos. Docuerunt illi vita, miraculis, & doctrina se ad missale, quod vocas sacerdotium, fuisse vocatos: id enim & verbo docuerunt, & exemplo monstrarunt. Quid iam vltra desideras testimonium? Deinde non agnoscis delirium tuum, quo stupidissimè colligis non esse licitum Christiano quippiam agere nisi doceatur de verbo præcepti. Vbi erras tota via. Multa enim licent, quæ nullo sunt instituta præcepto.

Virgi

Virginitatem consulit Paulus, non præcipit. Ad
cœlibatum inuitat Christus: nullo accedente præ 1.Cor.7. Matth.19.
cepto. De virginibus, ait Paulus, præceptum non
habeo: consilium autem do: & dominus ipse, qui
potest capere capiat. Sycophantice igitur quæris
verba præcepti, quasi alias non sit liberum quic-
quam agere. Sed ad rem propius accedamus. Ibi
nulla sunt verba præcepti: Accipite spiritum san- Ioan.20.
ctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur
eis. Nam, accipite, donantis est potius quàm im-
perantis. Ex his tamen verbis colligimus datam
esse facultatem remittendi peccata, qui ait: Tibi Matth.16.
dabo claues regni cœlorum: non vtitur verbo
præcepti ad vsum clauium: Ex his tamen colligi-
tur facultas vtendi clauibus. Debebas igitur exi-
gere testimonium ex quo colligi posset datam es-
se facultatem missæ celebrandæ. Id quod nunc
etiam ostendere promptissimum est. Quid enim
aliud egit dum ait: Hoc facite in meam comme- 1.Cor.11.
morationem, & quotienscunque feceritis, in mei
memoriam facietis. Quasi ita dixisset: Per me vo-
bis licebit quæ dixi dicere: quæ feci facere: hanc
à me recipite facultatem. Vti cum diceret: Acci-
pite spiritum sanctum, quorum remiseritis pec-
cata, remittuntur eis. Porro hoc verbum, facite,
an imperij, an potius oblationis & donationis no
tam teneat, in appendice copiosius disseruimus.
Tu vero pro innata tibi petulantia, rides, quasi
barbara verba, quod dixerim facere accipi pro sa
crificare. Quod igitur hactenus ignorasti: id ego Act.17,
annuncio tibi illud præteriens in quo tu me ac-

cuſas, quod Æthnicorum poemata citem. Quaſi vero nō ſit iſtud peculiare diuo Paulo, diuis Hieronymo, & in ciuitate Dei Auguſt. Vnde enim niſi ex receptis authoribus accipi poterit Germana vis & energia vocabulorum? Quid quod ipſe Chriſtus dominus ſymbolum aſſumpſit puerorũ choros in foro ducentiũ? Cecinimus (inquit) vobis, & non ſaltaſtis. Luximus vobis, & non planxiſtis. Quod ſi idem ipſe nos relegat ad ſerpentes & columbas noſtræ inſtitutionis gratia, cur non ego, vim vocabuli exquirens poetarum teſtimonia requiram? Sed negas id eſſe teſtimonium authenticum. Ego igitur alia proferam, quibus refutãdis, non ſatis vnus eris. Quid enim ſi ex mille in ſcriptura locis hoc ipſum probauero? Illud tamen præfabor, quod tu in deteriora delapſus planè videris ex hiſtrione transformatus in ſimiam, quæ quo magis rictu oríſque hiatu obuios quoſque ſubſannat: eo amplius ſe ridiculam faciens, omnium obuiantium riſu excipitur: dúmque ſe traducere putat, alios ſeipſam maximè traducit. Tu vero, vt hic video, ſcommatibus inſectaris interpretationem noſtram in verbo, facere: quod dixi apud probatiſsimos authores, pro eo accipi quod eſt offerre, aut ſacrificare. Qui cum à me citati parum faciant ad ſtomachum tuum: dignum duxi alios proferre omni exceptione maiores, vt vel ſic agnoſcant omnes tuæ temeritatis inſcitiam (ſi ignorabas) aut petulantiſsimam ſycophantiam, ſi diſſimulabas. Sexcenti ad manum ſunt in ſacra ſcriptura loci ex quibus liquidò apparet

paret

paret verbum facere efferri pro eo quod eſt ſacrificare aut offerre. Quod aut legiſſe debueras aut petulantiæ tuæ impoſuiſſe modum, quum nemo ſit bonus iudex eorum quæ non nouerit. Ex Sante Pagnino & æditione Complutenſi in verbo Aaza, conſtat pro eodem haberi, facere & ſacrificare. In primis: Exodi decimo, vbi æditio noſtra habet: Cum paruulis noſtris & ſenioribus ibimus. Hebraica phraſis habet. Ve aaſinu, id eſt, & faciemus ſiue vt faciamus, hoc eſt ſacrificemus domino Deo noſtro. Vnde & editio Pagnini ita repoſuit: Etiam tu dabis in manu noſtra ſacrificia & holocauſta, quæ faciemus domino Deo noſtro, offeremus, inquam, & ſacrificabimus, vbi noſtra æditio habet quæ offeramus Deo noſtro: nouella Hebraica vt ſacrificemus domino Deo noſtro. Quod & annotauit Hebraica Munſteri, in verbo faciamus. Capitur hic (inquit ille) facere, pro offerre, ſicut & paulo poſt, ſeruire, pro ſacrificare. Idémque in Leuitico 22. Compreſſum, eneruatum, aut exectum non offeretis domino, neque facietis in terra veſtra. Facietis, inquam, id eſt, ſacrificabitis. Sed & ſupra, 9. cap. Leuit. Appropinqua ad altare, fac oblationem pro peccato tuo, expiationem fac pro te, fac oblationem populi, fac expiationem pro eis: ita habet Hebraica Pagnini, cui ſuccinunt & reliquæ: quòd ſi diffidis: lege Caldaicã quæ ſic habet: Obtulit holocauſtum, & fecit ipſum. Quid eſt, fecit ipſum, niſi quod obtulit & ſacrificauit? Vbi alia habet: Obtulit holocauſtum, & fecit illud iuxta morem.

Munsterus mactans eum, fecit eum pro peccato. ad instar prioris. Hic nullus est tergiuersationi locus.

Caluinus. [Rursúmque Leuit. 16. Offeret Aaron iuuencam pro peccato, & expiationem faciet pro se & pro domo sua.]

Refutatio Sed illustrius ad rem facit quod mox sequitur: Offeret Aaron hircum super quem ascenderit sors, & faciet eum pro peccato. Quid est, faciet, nisi quod offeret, & sacrificabit? Idem de sanguine paulo mox dicitur: Nec ab huiusmodi phrasi, vel ad latum quidem vnguem distat Caldaica Oukelos. Ait enim: Faciat eum pro hostia peccati. Vbi nos legimus: Offeret illũ pro peccato: nouella vero Hebraica æditio reponit. Faciet eum pro peccato, vbi interpres ait, id est, sacrificabit eum pro expiatione peccati. Quin & Leuitic.16. Faciet illum peccatum, pro quo Hebræi intelligunt, offeret illum pro peccato. Vides vt accipiatur facere, pro offerre & sacrificare: vbi habemus offeret illum pro peccato. Sed quid opus exemplis, cùm Numerorum vigesimo octauo, nonóq; capitibus loci occurrant innumeri, ex quibus palam constat facere & fieri: idem signare, quod sacrificare & sacrificari: offerre & offerri. Vbi enim legimus holocaustum iuge est quod obtulistis in monte Sinai Hebræi legunt: Holocaustum iuge quale factum est in mõte Sinai. Ibi factum pro verbo oblatum. Sed quid apertius eo quod sequitur: vbi legimus: Alterum agnum similiter offeretis ad vesperã: æditio Hebraica legit: Agnum

alterum

alterũ facies inter veſperas. Quibus verbis quid apertius? Nam facies, ibi ponitur pro eo quod eſt offeres, ſacrificabis. Quis ergo prohibere poterit, ne ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio dicamus & intelligamus, hoc facite in meam commemorationem, id eſt, offerte, ſacrificate. Id autem decies repetitum in hoc ipſo capitulo reperies, quòd ne inficiari poſsis aut præuaricari manifeſta exempla ſubiungam. Agnum vnum facies manè, alterum facies inter veſperas: vbi nos legimus: Vnũ offeretis manè, & alterum ad veſperam. Rurſum hoc holocauſtum iuge quale factum eſt in monte Sinai: pro quo nos legimus, quod obtuliſtis in monte Sinai. Quid plura? Mox ſequitur: Agnum alterum facies inter veſperas. Et illud ſacrificium quod igne confit domino. Vides actiuè & paſſiuè facere & fieri, pro ſacrificare & ſacrificari. Perlege quæ ſequuntur, & ad ſingulas pene lineas idem reperies. Sed & paſſiuè hoc ipſum occurrit capit. 30. Fiat & hircus ex capris vnus pro hoſtia peccati. Item, fiat hircus vnus pro peccato, præter holocauſtum iuge. Rurſum hircus denique pro peccato vnus fiat. Fiat, id eſt, offeratur, & ſacrificetur. Ita paſſim legitur in nouella æditione Hebraica, non quòd illam probem. Neque enim eſt huius ocij de ea re diſſerere, ſed vt oſtendam vſu Hebræorum frequentiſsimo facere & fieri pro eo accipi quod eſt ſacrificare & ſacrificari. Conficere & confici, quod & catholici dicunt ſacerdotes conficere Euchariſtiam ſacram. Hic quærat ſimia ſibi caudam qua tegere poſsit

erubeſcentiam ſuam, ſicque tandem cercopitherus erit: æditáq; obliteret ſcōmata lingua ſua maledica, vti olim facere ſolebat Lugdunenſem inſulſus rhetor ad aram. Æditum ſuper ea re volumen ad me non peruenit: ideo cætera perſequi mihi non licuit. Excerptiones tantum ſequor à Cochleo nuper in lucem æditas.

Deſinat ergo tandem ſibilare virulenta vipera, ſimúlque inficiari verbo Chriſti datam fuiſſe facultatem ſacerdotibus conſecrandi Euchariſtiam, cùm nihil apertius ſit his verbis: Hoc facite (quod ſcilicet facio Chriſtus ait) in meam commemorationem: ego vero facio quod hoc ſit corpus meum, & quod hoc ſit ſanguis. Vos igitur idem facite: Quod quotienſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Ego quod hic dico facio: vos mea authoritate quod dicetis facietis, & ita facietis, vt valeat huiuſmodi conſecratio & oblatio, non pro vobis tantùm, imo & pro multis in remiſsionem peccatorum. Vbi ſignificatur valor miſſæ etiam pro altero.

Notabile.

Id quod ne elabi ſinam, pro data occaſione excutere libet. Chriſtus dominus non tam pro ſe, quàm pro nobis, ſeipſum obtulit patri: qui & ipſe ait: Hic eſt ſanguis, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Dum ergo ait, Hoc facite: hoc ipſum iubet à nobis fieri quod fecit. Seipſum obtulit: reſtat igitur, vt pro nobis próque aliis multis corpus hoc & ſanguinem Deo offeramus patri. Valet itaque huiuſmodi oblatio etiam pro altero. Neque id mirum.

Nam

Nam ſi oratione vnius prouentum alter recipiat, cur non etiam Hoſtiæ oblatione? Atqui ſcriptum legimus: Videns Dominus fidem illorum, dixit paralytico: Surge & ambula. Si fides alteri profuit, cur non & Miſſæ oblatio, præſertim eius qui ſeipſum dedit in redemptionem pro multis? Rurſum, ex diuo Iacobo legimus: Infirmatur quis in vobis? Inuocet preſbyteros. Móxque ſequitur: Oratio fidei alleuiabit infirmum: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Si extrema vnctio id poſsit, quid non poterit ſacræ huius Euchariſtiæ oblatio? Neque id diuum Paulum latuit, qui ait priore ad Timotheum 2. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones: non pro eo tantùm qui celebrat, immo etiam pro regibus & ducibus. Habet ergo ſpecialem energiam pro his aut illis quibus adaptatur ſacrificium, pro quibus ſcilicet poſtulamus, obſecramus, & gratias agimus.

Hac certè methodo diuus Paulus in Actis, angelo reuelante didicit: Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Valet igitur Miſſæ ſacrificium, non ei tantùm qui offert, verùm & his pro quibus offert.

Denique vna eſt oblatio, ſi rem oblatam conſideres, & quæ in cruce, & quæ ſacrificatur in Miſſa. Diuerſæ quidem ſunt actiones: at res quæ offertur, non eſt diuerſa. Profuit autem illa multis, cur non etiam proderit iſta his pro quibus offertur?

Ex quo iterum infertur, Panem non superesse sacramento, sed reipsa tantùm subesse corpus CHRISTI, non symbolicam aliquam substantiam: alioqui non esset vna oblatio, quæ semper & vbique exerceatur. Non enim idem esset panis hodie oblatus, & cras offerendus.

Dicendum itaque in Eucharistia vnicam corporis CHRISTI substantiam, heri & hodie fuisse oblatam, non panis & vini, sed corporis & sanguinis CHRISTI. Idem ergo CHRISTVS dominus est, qui semel se obtulit oblatione cruenta, quíque à nobis offertur oblatione incruenta. Non enim substantia panis de cœlo descendit: sed CHRISTVS Deus & homo est, qui de cœlo descendit: qui etiam ait Ioannis sexto: Panis quem ego dabo, caro mea est. Vti vulgò dici solet: Si quis pullum gallinaceum petierit, pullus quem ego dabo, erit caro perdicis delicatissima. Sic & Dominus pollicetur, se pro panis substantia visibili proprium corpus exhibiturum.

Et hinc quoque cessat obiectio exigentium vtriusque speciei receptionem: cùm eadem res eádemque substantia integrè recipiatur sub altera, quæ sub vtraque specie continetur.

Ratio Baptismi & Eucharistiæ diuersa.

Vnde & id quoque aduertẽdum est, aliam esse rationem Baptismi & Eucharistiæ. Baptismus enim tantùm prodest suscipienti, dicente Domino Marci decimosexto capite: Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: ea quidem lege, quòd qui baptizatus crediderit, saluus

erit.

erit. Hic autem dicitur: Hic eſt ſanguis qui pro vobis & pro multis datur: Hoc facite in meam commemorationem, valituram, inquam, pro vobis & pro multis. Sed hoc habent hæc ſacramenta commune, quòd ex operato conferunt gratiam. Nam quemadmodum CHRISTVS eſt qui baptizat, gratiam ex ſeipſo conferens baptiſmalem, ita & ipſe CHRISTVS eſt qui conſecrat, gratiam ex ſe proferens ſacramentalem: id quod dicere ſolemus, ex operato. Sicut enim (Hieronymo teſte aduerſus Luciferianos) hic eſt qui baptizat CHRISTVS, ita hic eſt qui ſanctificat ad altare. Aliâs quomodo diceretur panis qui dat vitam mundo: ſi non ex operato, ſed ex ſolo operante gratia compararetur? Paruulus baptizatus ex operato recipit gratiam: panis vero oblatus, præter eam quæ eſt ex operante, ſpecialem confert. Propter quod beata Monica diui Auguſtini mater, deſiderabat ſacrificij altaris particeps fieri, etiam poſtquam in fata conceſſiſſet. Hoc enim eſt quod in Canone continetur: Non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte. De Monica habes diuum Auguſtinum, libro Confeſsionum nono, capite tertio, quòd ſcilicet popoſcerit, vt ad altare Dei eius memoria fieret, vbi victima ſacra diſpenſatur.

Hac itaque ratione ſacrificium appellare non dubitat Origenes in Numeros, homilia vigeſimaquarta, in hæc verba: Vide ergo, ne fortè ſicut dominus & ſaluator noſter, quaſi agnus ad occi-

ſionem ductus, & in ſacrificium altaris oblatus, peccatorum remiſsionem vniuerſo præſtitit mũdo: ita fortaſsis & cæterorum ſanctorum ac iuſtorum ſanguis: qui (vt ſcribitur ſecundi Paralippomenon vigeſimoquarto, & Matthæi vigeſimotertio effuſus eſt à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ prophetæ, qui interfectus eſt inter ædem & altare, alterius quidem ſanguis ſicut vitulæ, alterius ſicut hirci aut capræ, aut alicuius horum fuſus eſt ad expiandum pro parte aliqua populum.

Complectitur hæc Origenis perioche ſententiam geminam. In poſteriore quidem hæſitans, ſuſpenſum iudicium tenet: quum tamen quæ ſuper ſenes intellexit, Eccleſia eam referat ad indulgentiarum theſaurum: qua de re nihil ad præſens.

In priore vero, qua ſtatuitur ſacrificium altaris & oblatio, tantùm abeſt vt hæſitet, vt pro muro aheneo ſtare velit, próque colũnis in veſtibulo templi à Salomone erectis: quarum Iachin vna, Booz altera vocata eſt, quaſi intelligas rem fortem & ſtabilem.

His ita ſe habentibus, libet etiam & aliam retegere laruam, qua (vti ſuprà retulimus) videri vult ſe ad omnia ſubeunda paratum, vbi dato cenſore legitimo eum à cauſa cadere contigerit. Quin & ante victoriam canens, gloriatur accinctus æquè vt diſcinctus, quòd iam euicerit Miſſæ nomen nuſquam in ſcripturis reperiri.

Verum

Verum petulantia tua iſta Caluine, ſingularis & immanis feritas, feráque aduerſus ſacra immanitas, omnem humanæ impietatis modum ſuperat, dæmonum potius quàm hominem reſipit: quòd vno dentis vulnere Eccleſiæ tuæ matris viſcera lanies ac diſſeces, more ſpumantis apri, dũ venatoris cõtempto venabulo nihil minus quàm ilia eius appetit. Ad hũc tu modum Miſſam proſtituens, quid aliud quàm matris vterum exenteras? & quod Nero in matrẽ feciſſe legitur, internos vteri materni receſſus ventilare, euoluere, ac dilaniare non erubeſcis? Quid inhumanius ac ferale magis, quam aſſerere velle omnes, qui Miſſę ſacrificium tractarũt, exoſculati ac venerati ſunt, nihil aliud quàm meram commiſiſſe impietatẽ? Quos quoniam huius facti nunquam pœnituiſſe conſtat, diuos omnes tanquam Orci familiæ addictos, æternis ſuppliciis damnatos pronunciare impudẽter audes. Quis audiuit vnquàm tale? Aut quis vidit huic ſimile? Diuos è cœlo detrahis: cœlo inſeris ſceleſtos ac impios tuos nebulones. At illorum doctrina vita miraculáque commendãt, ad contrà, tuam tuorúmque coniuratorum ita denigrat, fœdat, deturpat & doctrina vitã, & vita doctrinã, vt peſtilenti⁹ nihil, nihil pernicioſius Sol iſte, qui omnia videt, intueri poſſit. Atqui hoc vno argumẽto dignoſcuntur pſeudoprophetæ à veris: quòd vnáque arbor à fructu ſuo facilè cognoſcatur. Mat. 7. & Lucæ. 6,

Miſſam, quam vos Romanam dicitis, nos verè catholicam dicimus variis miraculorum fulgori-

bus illuſtratam. Celebrauit diuus Martinus globo igneo cœlitùs adfulgente, per hoc ſuper apoſtolis deſignatus: id atteſtãte Sulpitio Seuero, cuius vnius fides omnia vanitatum tuarum commẽta ſuperat. Ridebis forſan vnà cum ſcriptis ſuis authorem, ſed rictu potius canino, quàm riſu humano. Celebrandi modum tradidêre Chryſoſtomus, Gregorius, Ambroſius. Oriẽtalis & occidẽtalis Eccleſiæ perpetuum nobis vſum conſecrandi reliquerunt, ſacræ liturgiæ ritum docuerunt: quas tu tuíque Caluinates viperinis dentibus audetis impetere. Vos ſpinas, illi vuas poſteritati reliquerunt. Illi ficus, vos tribulos (nec aliud quidquàm) præſtare poteſtis. Vtri igitur parti credenMat.7.ca. dum eſt pro ſtatuenda aut deſtituẽda Miſſa? nónne his, de quibus Chriſtus ait: A fructibus eorum cognoſcetis eos? Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non modicam habet emphaſim hęc repetitio. Quid his Chriſti verbis obiecturi eſtis inſanæ beluæ, pſeudóque prophetæ: foris oues, intus autem lupi rapaces: viperę incarnatæ maternis viſceribus inhiantes, omni tigride ſeniores? qui diuorum omnium, qui à quingentis annis miraculis claruerunt, vitæ exemplo, fulPſal.96. ſerunt, emittentes fulgura ſua orbi terræ (quæ vt vidit, cõmota eſt terra: tantùm valebat apud omnes doctrinę integritas, morúmque fragrãtiſſima ſuauitas) vos nihilominus omnia hæc vno ſpurciſſimi oris veſtri rictu deuorare contenditis, Leuiathan illius ſæuitiã imitantes, immò virulentia

veſtra

vestra præuertentes, de quo in Iob scriptum est: Iob.40.ca. Absorbebit fluuium: & non mirabitur & sperat, quòd influat Iordanis (hoc est, totus diuini iudicij ritus) in os eius. Sed draconẽ conteret dominus sub pedibus suis, & Caluinates coruos deludet hiantes.

At ne videatur vesanus iste & vecors sine causa insanire, hoc sibi velamen prætexit erroris.

[Missæ (inquit ille) nomen si vsquam legitur in scripturis, victos nos fatebimur, cedemus arena, trademus lampada cursu: contrà verò, nisi id præstiterint catholici, exque ipsis scripturæ recessibus id nominis eruere possint, victos se fateantur oportet.] Caluinus.

Quasi verò id genus argumenti ab Arrianorum fæce, fœdáque lacuna erutum, iampridẽ elusum non fuerit. Negabant illi homousion in scripturis deprehendi posse, ideóque nullatenus recipiendum. Catholici verò contendebant rẽipsam comperiri in scripturis. Qua comperta, post obortam hæreticorum petulantia seditionem, necesse erat nomen consubstantialitatis adinuenire, & inuẽtum vsurpare. Nominibus enim pro rebus vtimur. Re inuenta, quid vltra contendendum est super nomine? In scripturis reperitur & probatur filium esse consubstantialem patri: & hoc est esse homousion. In eodem scripturarum pelago & Oceano, Eucharistiæ sacra libatio demonstratur: & hæc est Missæ celebratio. Idem de transsubstantiatione dixeris panis in corpus CHRISTI. Frustrà igitur de nomine contende-

ris,vbi de reipſa apertiſſimè conſtet in ſcripturis. Hæc videntes patres, & Miſſæ nomen, & tranſſubſtantiationis vocabulum, ſuo iure protulerunt in apertam tenebroſo ex carcere lucem. Vtendum nobis eſt communibus armis: alioqui nemo vnquàm cum hæreticis iuſto Marte congredi poterit. Scripturæ verbo ſe munitos videri volunt hæretici, ſuam ſibi intelligentiam pro arbitratu retinentes: nos verò, cùm ſciamus prophetiæ opus eſſe intelligentia, ipſamq́ue ſcripturam ab hæreticis corrumpi, próque eorum nutu ac renutu in dies penè ſingulos diſcerpi ac dilaniari: oportuit ſacra aliqua anchora, perpetuò alioqui ſuborituros, ſiſtere ac reprimere fluctus, nempe interpretatione patrum, vſuque communi ac vetuſto Eccleſiæ paſtorum, mutila alioqui foret, variàque ac vacillans, veluti in omnem ventum arundo agitata, quæcunque de re quapiam oriri poſſet quæſtio. Vti enim vitis paxillo innititur, ita & ſcripturæ intelligentia patrum interpretationi: ſic tamē, vt vtràque alteram fulciat & muniat. Reſtat igitur, vt præter ſcripturam, neceſſario admittamus & priſcorum vſum, & patrū ſentētias. Quæ tria ſi receperint (vt certè recipi neceſſe eſt:) omnes qui à ſeculo ſunt hæretici, & cumprimis Antichriſtiani illi Caluinates, victos ſe fateantur neceſſe eſt. Id quod & de Miſſa, déque cæteris quæ in controuerſiam veniūt, leui manu demonſtrari poteſt. Tria enim hæc ſunt, ſcriptura, interpretatio, & vſus: quibus via communis ambobus ſterni & poteſt, & debet: quo & ipſi

ipsi ad nos, & nos ad ipsos veritatis inquirendæ gratia (non dico per contentionem obfuscandæ) peruenire possimus. Quòd si vnam ademeris tabulam: nec via apparebit, nec iter: immò nec tuta aliqua semita, qua liber transitus haberi possit. Et ob huius rei defectum, chaos magnum firmatum est inter nos & vos: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint neque inde huc transmeare. Redite igitur præuaricatores ad cor, redite inquam: & doctrinis vestris variis, hoc est, inter vos ipsos variantibus, quæ apud nos vnico obedientiæ vinculo alligatæ sunt: & peregrinis (non enim dominatæ sunt apud catholicos, sed foris emendicatæ apud Barbaros filiósque alienos: qui sibi nimium fidentes, mentiti sunt, & claudicauerunt à semitis suis) nolite abduci. Saginate cor vestrũ oraculis patrum potius quàm somniis, escísque fallacibus hæreticorũ. Escã promittit & mittit hęretic⁹, sed mittit in hamo, & piscatorẽ piscis amare potest? Hæc igitur via est (ambulate in ea, & nõ declinetis neq; ad dexterã, neq; ad sinistram) scripturæ scilicet authoritas, patrum communis & vsus & interpretatio: quibus Missæ & res & nomen ita constituitur, vt eam dissoluere nequeant, aut quarumuis tormenta machinarum, aut rauco fulgura missa sono. Hæc respõsio vna satis esse poterit: si non tibi deplorato, de quo scriptum est: Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ipse despexerit: & ei tamen prodesse valebit, qui non adeò ferus est, vt non mitescere possit, si modo doctrinæ patientem præbeat au-

Isa. 46.
Heb. 13.
Psal. 17. g.

rem. Resipisce igitur Caluine, ita vt cauda pœnitentiæ deleas, quæ blasphemiæ tuæ arrogantissima petulátia profundè nimium vestigia impressit. Quis alioqui tam aut arroganter impius, aut improbè temerarius: vt si quando obscurus videtur literæ sensus, sibi vni aduersus patrum sententiam, genuinam intelligentiam tribuere audeat? Luciferianum hoc est potiùs, quàm infra hominis delicta, connumerandum flagitium. Necesse ergo fuerit in re controuersa adglutinare scripturæ communi patrum consensu assertam & probatam intelligentiam. Quæ si defuerit: vices supplebit consuetudo, quæ lex est non scripta. Nihil enim refert, an res aliqua aut facto vsúq; publico aut certè verbo vel scripto probetur. Quin (vt diuus Augustinus ait) facta sunt interpretatiua dictorum. Ruit igitur impostura tua Caluine, qua in nomine Missæ constituendo, solùm scripturæ corticem improbè exigis ac subdolè. Nam cùm sibi aduersantes eodem se scripturæ clypeo tueãtur: necesse est vtí arbitro aliquo, medióque proxeneta, qui motam litem dirimat. Non enim in verborum cortice aut foliis, intelligentia recta
1. Cor. 3. consistit, sed in radice potiùs rationis. Nunc cùm de re & nomine Missæ sentẽtiam tulerit spiritualium turba pastorum. (Spiritualis enim omnia diiudicat, etiam secreta Dei) qua fronte tu singularis aper, te vnum illis opponere audes solis armatus conuitiis, vna cum tuis apostatis, ac signorum suorum desertoribus fœdifragis.

Nec est quòd Pharisaico more apud te ista submurmu-

murmures : Nõ ſum ſicut cæteri hominum,rapaces,ſcelesti, adulteri: cùm omnes multis paraſangis tuis blaſphemiis ferociendo præuertas . Illi enim in corpora aut ſua aut aliena peccãt : tu verò animas perdere cõtẽdis , quibus nihil habet orbis precioſius , quippe quas præ cæteris Christus domin⁹ fuſo ſanguine redemerit. Illi in homines peccant,res eorum bonáque diripientes : tu verò ſacra omnia ſumma, media, infima tuo dẽte proſcindis,dilanias,ac prophanas,& quod facto præ ſtare nequis , id verbo oſtentare nunquam deſinis . Non ignoras ſcriptum eſſe : Si peccauerit vir 1.Reg.2.
in virum , placari poteſt Deus : ſi autem in Deum peccauerit vir , quis pro eo orabit ?

Rurſum, gloriaris vna cum tuis aſſeclis in ampliſsima eleemoſynarum largitionumq́ue profuſione. Sed quis neſcit ex alienis ſpoliis te tuóſque complices iſta profundere ? Quæ enim rapuiſtis à catholicis crudeliter , ea infideliter direpta diſtribuitis quibuſcunque obuiis . Quæ eſt iſta miſericordia , aliena rapere , quæ in aliorum ſinum effundas? Annon ſcriptum eſt: Qui offert ſacrifi- Eccleſ.34.
cium ex ſubſtantia pauperum , quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Et illud:Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.

Et vt de magiſtratu loquar perperam vſurpato: Iudicio tuo mulctam indicis tibi nullatenus ſubiectis.Neque enim iuſtè reſpondere potes, in qua poteſtate id facias,aut quis tibi hanc legitimè dederit poteſtatem.Tuíne alienis ſpoliis onuſti hæreticantes ? Ego verò rurſus inquiro : Vnde illam

legitimè acceperint, quàm non ignoras per vim à iuſtis poſſeſſoribus adēptam? Reſtituendus eſt primum ſpoliatus: tum deinde proſpicias, quid tibi ſupereſſe poterit authoritatis. Cùm ergo rem receperis indebitam: nihil aliud expectare poteris, quàm anathema danti, & anathema accipiēti.

Sed & illud libet inueſtigare: Quínam hi ſunt, quos tuis ipſe rapinis potiùs, quàm eleemoſynis, foues? Rectè Auguſtinus ait in diſtinct. 86. capi. Qui venatoribus donant: quare donant, dicant mihi: quare dant venatori? Hoc in illo amant, in quo nequiſsimus eſt. Hoc in illo paſcunt, hoc in illo veſtiunt. Ipſam nequitiam publicant ſpectaculis hominum, qui dant hiſtrionibus. Qui donant meretricibus, quare donant? Nunquid non & ipſa hominibus donantur? Non tantùm naturam ibi attendunt operis Dei, ſed nequitiam operis humani. Hæc Auguſtinus. Idem dicēdum de his, quos foues, hæreticis. Tu certè cum tuis Caluinatibus non hominem, ſed ſcelus attēdis, alio-
Matth. 10. qui denegaturus vel calicem aquæ frigidæ: immò carcerem potius comminaturus vice refrigerij, niſi in tuam ſententiam quantocius deſcenderēt. Immò eos potiùs in extimas tenebras relegaturus, ſi à tua hæreſi, impiáque ſententia, vel ad latum quidem vnguem digrederentur. Ceſſent itaque ſuis deſtitutæ viribus tuarum eleemoſynarū laruæ, vſurpatorúmque magiſtratuum ambitioſa rapina.

Sed quid de oblatione pro mortuis lingua ſua procaciſsima, vti garrula pica, loquatur, vaniſsimæque

mæque obtrudat incautis, nullo vel rationis vel authoritatis fulta teſtimonio, vidẽdum occurrit.

[Non nego (ait) hanc fuiſſe vetuſtiſsimam cõſuetudinem. Et quoniam magna eſt vis conſuetudinis, aut potiùs regnũ: ideo eiuſmodi (fateor) Chriſoſtomo, Epiphanio, Auguſtino, & ſimilibus probatas fuiſſe, quòd à maioribus quaſi per manus traditæ eſſent. Etſi nõ exiſtimo multò ante eorum ætatẽ, quos nominaui, obrepſiſſe in vſum: ſed quòd breui tempore vtcunque inualuerat, nimia facilitate, ſine ratione aut iudicio ſequuti ſunt.] Caluinus.

Quid ais fera ſæuiſsima? Itáne tibi licuit impunè vſum conſtantiſsimè à Chryſoſtomo, Epiphanio, Auguſtino, cæteríſque heroibus probatum, tyrannidis nomine traducere? Refutatio

[Magna (inquiens) eſt vis conſuetudinis, aut potius regnum.] Caluinus.

Regni nomine, vti olim aduerſus Tarquinium ſuperbum Senatus populúſque Romanus, tyrannidem quandam obumbrãs qui nulla re alia magis irritabatur, quàm quód regnare, quódq; maximè ſuſpicabantur, ſubditis herili dominio imperare vellet Tarquinius fama & opinione ſuperbus. Abſit autem vt regnare ita voluerint patres ſanctiſsimi, cum ſcirent ſcriptum eſſe: Principes gentium dominantur earum, vos autem non ſic. Sed quo illis regnum? Qui (ſi tibi blaſphemanti creditur, & rem prorſus incredibilem pronuncianti) ſine ratione aut iudicio maiorum ſententiam ſequuti ſunt. Túne vſque adeò es impudẽs,

frontiſque perfrictæ: vt multiſcios illos patres, ac omnigenæ penè lectionis ſyncere pietatis cultores, denudare audeas ſenſu etiam communi?

Iere. 3. Quis hāc ferat æquanimiter temeritatem ac proteruiam? Frons (vt video) meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Tu vero, quin profers teſtimonia aliqua, quæ eorum profundiſsimæ & ſanctitati & ſapientiæ opponere poſsis? hoc tantùm dixiſſe contentus, quòd ſine ratione & iudicio ſua ſenſa in literas retulerint, vſúmque probarint imis iam pietatis radicibus irroboratum. Quid autem dicturus es ad miracula, quibus ab initio naſcentis Eccleſiæ illuſtratus eſt vſus huius venerabilis ſacramenti? Quid facias huic inficiatori: qui cùm nihil probet, omnia abnegat: cùm nihil ſciat, omnia præcipit: cùm nihil videat, de omnibus diſſerit: cū nullius ſit authoritatis, omnibus imperat?

Caluinus. [Fateor (inquit) conſuetudinem: qui tamen eam imitantur, ſunt iudicij & rationis expertes.]

Refutatio Sufficit huic blateroni ad conculcandam Damaſceni authoritatem vnica ſani iudicij vncia. Quàm ſi haberet, in ſeipſum deſcendens, ſe dignum exiſtimaret, quem cum Chore Dathan & Abiron tellus ima dehiſcens viuum abſorberet. (Num. 16.) Ait ille, vt eſt impudentiſsimus.

Caluinus. [Damaſcenum qui legerunt, ſi vnicam haberent vnciam ſani iudicij, non multum eius authoritati deferrent.]

Refutatio Et hic tamen eſt Damaſcenus, qui in tanta fuit apud omnes authoritate, vt de eo Suidas hęc ſcribere

bere non dubitarit.

Ioannes Damaſcenus, cognomento Manſur, vir fuit eruditione & eloquentia pręſtantiſsimus, maximíq; nominis: nec vlli eorum, qui ſua ætate doctrina claruerunt, ſecundus. Scripta eius extant valde multa, maximéque philoſophica. Canones cùm in ſacram ſcripturam, ſelecti, & in conſentiétem ordinem redacti: tum cantionum, partim iambici, partim ſolutæ orationis. Eodem etiam tempore floruit Coſmas Hieroſolymitanus, vir ingenioſiſsimus, & omnino Muſicam illam elegantem & eruditam ſpirans. Ioánis certè & Coſmæ canones illi cantionum, fuerunt hactenus ſupra omnem comparationé: neque quicquam illis comparari poterit, quoad noſtrum æuum conſummabitur. Hæc ille. Sed & illud apud omnes eſt in confeſſo, ſcripta eius tãti fuiſſe apud priſcos authores, vt ab vtráque nunquam non recepta ſint Eccleſia, Orientis ſcilicet & Occidentis Solis.

Quódq; magis mireris, nulla alia lectione præter hanc (potiſsimum in Græcorum gymnaſiis) ſolebant theologicæ paleſtræ tyrones initiari.

Sed & eius mores & vitam multis proſequutus eſt Ioannes Hieroſolymitanus patriarcha, quàm innumeris titulis illuſtratam miro celebrauit eloquio. Quem tam fœliciter inſtitutum fuiſſe aſſeuerat: vt nullam reliquerit diſciplinam, quin mira eam ingenij velocitate perluſtratam ſic habuerit in numerato, vt proprios vngues. Qui tamen eo ſemper modeſtior fuerit, quò à cæteris cenſeretur

doctior & eruditior. Nec ei deerat zeli ad ſacra tuenda inextinguibilis ardor: quo aduerſus Leonem Iſauricum Iconomaſtigem accenſus, impia eius & geſta & dogmata ſcriptis in lucem editis traducebat. Quem cùm euincere nõ poſſet Leonina feritas, ſerpentino aſtu eludere conata eſt: eóque deuentum eſt, vt ſuppoſititiis effictíſq; caracteribus apud principem ſuum, quo cum familiariſsimè degebat, tandem accuſaretur Ioannes tanquã perduellionis reus, adeò vt credulus princeps dexteram illi manum ſecari iuſſerit. Quæ tamen Chriſtiferæ Virginis implorato auxilio, non ita multò poſt illi reſtituta eſt: remanente nihilominꝰ præteritæ amputationis indice lineola quadam, vt beneficij recepti indicia perpetuò remanerent. Cùm itaque in gratiã rediiſſet noſter Damaſcenus, nunquam tamen deſtitit à propoſito anachoreſis amplectendæ: in quo vſque adeò valuit & præualuit, vt ab his, qui eum agnoſcebant, mirabilis potiùs quã imitabilis videretur, ſimúlque & Deiferi titulo inſigniretur: & veritatis aſſertor, athleta, indefeſſus, ſcientiarum panoplia conſpicuus haberetur. Quibus titulis ita emicuit, vt neget ille patriarcha Hieroſolymitanus eius gloriæ quicquam dicẽdo accedere poſſe. Et poſt hæc tam multa, non pudet hunc conuiciatorem huius ſanctiſsimi viri authoritatem eleuare: cuius grauitate & pondere opprimi potiùs debuerat.

Sed hic videamus, quanto ſtupore laboret in hac ſua refutatione: quæ tam abeſt à ſcopo, quantum Borealis polus ab Antartico. Fingamus Damaſce-

mascenum nullius fuisse aut eruditionis, aut authoritatis, vtpote stupidum vel analphabetum, hoc tantùm inquiritur. An Dionysius Areopagita vna cum eius fœtura præcesserit huius ætatem, an potiùs posterior fuerit? Vtrum cumque dixerit, seipsum præfocat & confodit. Si enim posterior ætate fuisset author Hierarchiæ Ecclesiasticæ: quomodo diuinare potuisset Damascenus ac citare scripta eius, qui nondum natus sit? Si verò prior (vt res ipsa indicat:) qua impudentia audet suæ mentis oblitus Caluinus, operis Hierarchici authorem vnum aliquem fuisse asserere ex recentioribus, cùm palam constet omnium scriptorum testimonio floruisse Damascenum tempore Leonis Isaurici, idque sub annum à parta salute septingentesimum decimumoctauum? Successit enim Leo Theodosio tertio, qui vno tantùm imperitauit anno. Lapsi sunt itaque anni ab ea ætate penè (paulo minus) nongenti. Sed & ea tempora multo interuallo Dionysij nostri, Hierarchicæ fœturæ authoris, ætas præcessit. Id enim (vt ne aliud dicam) constat apertissimè ex ædito nuper in lucem Michaëlis Syngeli encomio, (cuius ætas hoc carmine compræhenditur.

Syngelus ignotus nostris, qui plus minus annos
Nongentos fuerat, prosilit è tenebris.
Is Dionysiacæ diuina oracula mentis
Laudibus attollit, &c.) Qui inter cætera sic habet: Quæcunque porrò per traditionem viuæ vo-

cis oraculo proditam, aut certè ſcripto æditam accepimus: en ipſi adſumus vobis audiendi cupientiſſimis exhibituri. Talis igitur ad nos peruenit ſermo ab ipſis vitæ meæ rudimentis mihi puero à patre traditus: quia magnus hic Dionyſius ſalutiferæ paſſionis tempore, quando vehementiſſimo motu concuſſa eſt terra, ſuumque Sol lucidiſſimum ſplendorem media die ſubduxit & occuluit, neuticam ferens vniuerſi opificem contueri carne ſuffixum crucis patibulo, mortémque guſtare eum, qui ſecundum diuinam ſubſtantiam nulli eſſet aut paſſioni aut calamitati obnoxius & c.

Georgij Pachimeræ teſtimonium omnibus eſt ad manum.

Damaſceni igitur reſtat ſcripta referre. Primũque libro de orthodoxa fide, primo capite duodecimo, vbi verba Dionyſij citat de diuinis nominibus. Item eiuſdem libri capite decimoquinto, vbi ex Dionyſio aſſeritur Deum eſſe omniũ cauſam. Item ſecundum de orthodoxa fide capite. 3. Citatur eiuſdem Dionyſij authoritas. Item tertij ſexto & decimooctauo capitibus. Hos locos ſi perluſtraſſet, agnoſceret, niſi prorſus ſtupidus foret, Caluinus: Dionyſium Arepagitam non recentem, ſed priſcum fuiſſe authorẽ, ſeque ipſum arguet manifeſtæ vanitatis.

Addam nihilominus verba Damaſceni ipſiſſima ex ſermone pro defunctis. Quocirca (ait) profundus ille & exercitatus in diuinis Dionyſius, vbi de defunctis arcana conſideratione agit, (vt

interim

interim ex diuinis & venerandis illius verbis ad manifestiorem nostrorum demonstrationem aliquid adaptemus) inquit, sanctorum preces, etiam in ista vita, & non tantùm post mortem, prodesse iis solis, qui digni sunt, vt pro eis sanctæ preces fiant, nempe fidelibus. Vbi per id quod ait: Non tantùm post mortem, nihil aliud intelligendum quàm, quanto magis post mortem? Et post pauca: Neque enim vnquam postularet sacer præsul, qui diuinæ iustificationis est Doctor, quæ Deo sciret non esse gratissima, & quæ largiturum se ille nequaquam promisisset &c.

Hæc ille. Ex quo loco, vno saltu duos apros intercipere licet. Probatur enim, quod hic venamur, priscum fuisse authorem Dionysium Areopagitam. Simúlque euincitur temeritas Caluini, negantis sacrificium Eucharistiæ sacræ valere defunctorum animabus. Nam toto illo sermone authorum probatissimorum testimoniis, miraculísque probatissimis, luculenter ostendit Missæ sacrificio purgandas animas subleuari. Quòd si authoritas reiicitur, vnica eius ratione id conuinci potest. Sic enim paulo ante hæc verba ait: Diui autem Apostoli discipuli saluatoris, qui totum mundi circulum viuum cepêre prædicando verbum, quod suis oculis viderant: in tremendis & impollutis vitalibúsque sacramentis, memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter, atque adeò sine contradictione, obseruat Aposto-

lica & catholica Ecclesia CHRISTI & Dei, à finibus vsque ad fines terræ, ab eóque tempore vsque in præsens, & in finem mundi vsque. Omnino hoc neque vanè, neque absurdè, neque temerè, fortuitóve ordinatum est. Quæ enim Christiana Religio erroris nescia suscipit, & in tot secula seruat inconcussa, minimè vana sunt, sed vtilia, Deo placita, salutíque nostræ conducibilia plurimum. Hactenus Damascenus.

His respondeat Caluinus aut se victum fateatur oportet, suóque ipsius iudicio condemnatum.

His attestatur sextæ synodi Constantinopolitanæ authoritas sub Agathone, actione quarta.

Scripsit de hac re Nicolaus primus ad Michaëlem Imperatorem. Volumina prostant. Breuitati consulens, à citandis præscriptis verbis abstineo, vno selecto testimonio contentus, Maximi Monachi in sua Mystagogia capite vltimo in literas relato.

Quæ si quis (ait) studiosus cupit cognoscere, ea legat, quæ à sancto Dionysio Areopagita diuinæ elaborata sunt: & reuera inueniet ineffabilium mysteriorum reuelationem, per diuinam
Hebr.1. eius mentem & linguam, hominum generi donatã, propter eos qui salutis hæredes futuri sunt. Hæc ille. Non desunt ex eodem sententiæ non paucæ, id attestantes.

Verùm quãdo rem istam copiosius in Parisien-

ſium hierarchia excuſsimus, à cæteris abſtinendum hoc loco duximus. Hæc enim ſatis ſupérq; ſufficiunt ad occludendum os impudentiſsimũ, fœdámque impoſturam huius inficiatoris: idque adeo, vt nihil ei ſuperſit, quo ſuum tegere poſsit errorem.

Iam tandem in teipſum deſcendens, Caluine, diſce verecundari, ſi tamen es erubeſcendo. Tibi, vt videri vis, vna ſufficit vnciola mentis & intelligentiæ ad contemnendam authoritatem talis ac tanti viri, vt ſcientiſsimi, ita & ſanctiſsimi, vno profundiſsimæ modeſtiæ nomine mortalibus & immortalibus vſque ad ſtuporem admirandi. Tu verò ſi vel ſcrupulum vnum communis haberes intelligentiæ, tuæ improbitati modum imponeres: quam mox ſequentibus verbis perſpicua luce vaniſsimis patefeciſti.

[Quoties ergo citantur libri iſti, ſciamus ignoti eſſe ſcriptoris, & non adeò antiqui. Quod & ſtylus ipſe, & argumentum clarè demonſtrat.] Caluinus.

Tu verò, niſi planè deſipis, te irretitum vides à priſcorum authorum citatis recenſitiſque teſtimoniis: quibus conſtat apertè fieri non poſſe, vt ædiderint commentarios in neoterici ac poſterioris authoris ædenda volumina. Cuiuſmodi fuêre Georgius Pachimeres, Michaël Syngelus, Nicolaus Cabaſila, Maximus Monachus, Ioãnes Damaſcenus, Euthymius, & alij complures, non iam nouitij, ſed priſci authores: qui ipſiſsima verba noſtri Dionyſij recenſentes, apertè demon- Refutatio

ſtrant tui huius, quod ex teipſo coniecisti, ſomnij perſpicuam vanitatem: quam nulla aut ſtyli aut argumenti laruata ſpecies tegere poteſt. Qua in re tuam ipſius conſcientiam appello, Caluine.

Vt ergo reliqua proſequamur: nihil iam opus fuerit ocium & operam perdere in citandis aliorum teſtimonis: quos non inficiaris (neque enim potes) eam, quam ſequimur, pro memoria defunctorũ in Miſſæ ſacrificio tenuiſſe ſententiam. Quæ vna res apud pios & religioſos inſtar erit omnium. Tu vero hac vna rima effugium quærens, eorum ita eleuas authoritatem, vt fidem apud poſteros nullam mereantur, tanquam iudicij rationiſque expertes. Quaſi verò operam luſerit Chriſtus dominus, qui ait ſynceros ſacrę ſcripturæ interpretes à pſeudoprophetis ſuis fructibus fore dignoſcendos. Hi quales quantique fuerint, morum ac vitæ perſpicua exempla docent. Vos quinam ſitis, palàm oſtendit maledicta terra in ſemine veſtro: quæ nihil frequentius aut copioſius quàm ſpinas educit & tribulos. Quo fit, vt (authore Paulo) maledicto proxima ſit, & finis eius in conſummationem ignis.

Matth. 7.

Geneſ. 3.

Hebr. 6.

Oſtẽdam nihilominus ex ipſius ſcripturæ euangelico teſtimonio conceſſam fuiſſe poteſtatem ipſis Apoſtolis, Apoſtolorúmque ſucceſſoribus, qua ſcilicet freti legitimè poſſent huic myſticæ accũbere cœnæ: & Miſſæ ſacrificiũ (vti iam probatum eſt) celebrare. Id enim legitur Lucæ 2. ac vigeſimo cap. Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis regnum

gnum non triumphantis Ecclesiæ solùm, immo & militātis. de quo in Actis Apostolorum: Quibus prębuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei: hoc est, de regimine Ecclesię hierarchico. Sequitur ex eodem: Vt edatis & bibatis, ipsissimum videlicet Eucharistiæ sacramentum: super mensam meam, altare scilicet meum: in regno meo (vti iam dixi) militantis Ecclesiæ. Cùm autem spiritus Domini sit multiplex, negari non potest vnum eundémque textum duos habere sensus literales, pro Ecclesia triumphante vnum, pro militante alterum. Act.1. Luc.22.

Procedat itaque in sua integritate sensus vterque, quando in pari causa ad Monimum Fulgentius, & apud Fulgetium Augustinus, hanc in Ecclesia consuetudinem irroboratam fuisse, perpetuóque obseruatam multis verbis comprobant. Fulgentij hæc verba sunt, lib. ad Monimum 2.

Cùm itaque hic beati Apostoli locus tripartito sit modo à tribus, quos nominauimus, viris sanctis expositus: quisquis vnum modum ex his tribus posuerit, à veritate vtique non dissentit. Neq; enim necesse est, vt quod multipliciter intelligitur, in omnibus scriptis multipliciter inseratur. Nam & ipsi sancti, quorum ministerio Deus scripturarum suarum dignatus est aperire secreta, dixerunt pleraque non vno modo tantùm, sed multipliciter, sine offensione, dũtaxat veræ fidei non indecẽter intelligi. Sicut ipse beatus Augustinus in mysterio arcæ Noë fecisse cognoscitur aduer-

ſus Fauſtum. Sed & Auguſtinum his verbis loquentem introducit: Fieri quidem poteſt, vt & nobis quiſpiam & alius alio exponat hæc aptius: dum tamen ea quæ dicuntur, ad hanc (de qua loquimur) Dei ciuitatem, in hoc ſæculo maligno, tanquam in diluuio peregrinantem, omnia referantur: ſi ab eius ſenſu, qui iſta conſcripſit, non vult longè aberrare, qui exponit. Succinit his quę dicta ſunt, idem lib. I. de Trinitate: Aſſerens vtile eſſe plures libros à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat ad alios ſic, ad alios autem ſic.

Perorat itaque his verbis Fulgentius: Si à duobus hominibus ſingula aſſumpta ſingulis ponantur in locis: nónne vterque dignè tenax pronunciabitur veritatis? Si tamen ſic vterque vnum horum ſuis inditum dictis videatur adſtruere, vt illud quod aliter in ſuis dictis æquè veritati congruum ponit, magis pacatus approbet, quàm cõtentioſus impugnet.

Quocirca, chariſsime, licèt ille ſenſus, qui à me poſitus eſt, forſitan in ſancti Auguſtini dictis non inueniatur: in ſancti Optati tamen libris (ſicut ipſe mecum noſti) apertiſſimè poſitus inuenitur. Nec tuam prudentiam latet eorum, quæ à ſanctis patribus, qui fidei catholicæ rectam in doctrina ſancti Spiritus regulam defenderũt, diuerſis modis, vel in expoſitionibus, vel in defenſionibus ſuis inueniuntur poſita, quicquid à nobis ponatur, ita nos illius loci adſtruere veritati congruum

gruum ſenſum, vt aliis patrum ſententiis æquè veritati congruis non denegemus aſſenſum. Neque enim à veritate receditur, ſi in hac ſupererogatione Apoſtoli, ſiue quod ſanctus Ambroſius, ſeu quod ſanctus Auguſtinus, ſiue quod ſanctus Optatus ſenſerunt, à nobis quoque ſalua veritate fidei ſentiatur. Nec ab his diſcrepat diuus Chryſoſtomus, qui in Matthæum ſic ait: Aliud eſſe cõtrario modo loqui, aliud diuerſo. Nam & diſſonantiam in Euangeliſtis admittit idem Chryſoſtomus, non tamen contrarietatem. Nihil ergo offendiculi fuerit, eundem textum habere diuerſos ſenſus, modò ne ſint catholicæ fidei aduerſi.

Huiuſmodi autem conceſsionem non tantùm eſſe perſonalem, ſed & religionis ſucceſsione hæreditariam, diuus Auguſtinus docet in libro de Ciuitate Dei, capite vigeſimo.

Habes itaque in his verbis poteſtatem, Miſſæ videlicet celebrandæ, conceſſam Apoſtolis. Vti & poteſtas iuriſdictionis (quæ ab Apoſtolis dimanauit ad ſucceſſores) promiſſa intelligitur his verbis: Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, Ibidem. iudicantes duodecim tribus Iſraël. Nam iuriſdictionem tranſiſſe ad ſucceſſores nemo negare poterit: alioqui (vt dicitur primæ Timothæi quarto, & ſecundæ Timothæi primo) quod ſuum non erat Paulus vſurpaſſet, Timothæum & Titum epiſcopos conſecrans & inſtituens. Qui- Tit.1. bus etiam poteſtatem fecit conſtituendi per ciuitates preſbyteros.

Cùm igitur cœnæ dominicæ mysteriũ ad posteros peruenerit: certius certissimo esse opportet, consecrandi potestatem, conficiendæque sacræ Eucharistiæ authoritaté, ad posteros peruenisse: non quidem passim omnes cuiuscunque ordinis, sexúsve, aut ætatis mortales. Id quod vsus Christi sponsæ Ecclesiæ indicat alioqui quomodo Dominus permisisset sponsam Ecclesiam falli, & ita exorbitare: vt suo munere priuasset promiscui sexus ætatis aut ordinis, multa etiam sanctitate illustres, viros ac mulieres?

Sed quibus (quæso) verbis sacramentũ hoc conficiẽdum traditum est, nisi ipsissimo Christi pronunciato, quo ait: Hoc est corpus meum. &, Hic est sanguis meus? Cui succineus Paul⁹, dicit: Hoc accepi à domino, quod & tradidi vobis. Ex quibus liquet apertè, relictam esse à Christo domino conficiendæ sacræ Eucharistiæ facultatem, sacrificiique offerẽdi sacrosanctam authoritatem, tam aperto sponsi testimonio, quàm sponsæ eius vsu perpetuo, quàm etiam catholicorum omnium tã priscorum quàm recentiorum celeberrimo consensu. Eat nunc delirus Caluinus, & suis tantùm excæcatissimus hæreticis imponat, Christi mandatũ exigens super oblatione Missæ cõstituenda.

Mat.26. &.1.cor. 11.cap.

Nec obstat, quod ceruix eorum durissima recipere nequit, absurdum existimans, si quis dicat filium offerri patri. Legimus enim parentes detulisse ipsum in Hierusalem, vt sisterent eum domino, quin & Christus ipse se obtulit patri in redemptionem pro nobis.

Lucæ.2. Mat.20. & Mar.10 1.tim.2. & Heb.9.

Id quoque plusquàm quotidianum est, quod dici solet: Per incarnationem, per passionem, per resurrectionem tuam libera nos domine. Quibus vtique verbis passionem Christi, quæ nihil aliud est quàm Christus passus, ipsi offerimus domino, vt cùm nocens (quod sæpenumerò vsu venit) à principe veniam implorat per sceptrum eius inclytum. Neque Psalmistam id latuit, qui ait: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare meum. Psal. 49.

Rem ita se habere apertè testatur Fulgentius ad Monimum lib. 2. Si qui verò catholici (inquiens) fideles huius sacramenti nunc vsque videbantur ignari, deinceps scire debent omne cuiuslibet honorificentiæ & sacrificij salutaris obsequiū & Patri & Filio & Spiritui sancto, hoc est, sanctæ Trinitati, ab Ecclesia catholica pariter exhiberi. In cuius vtique vno nomine manifestum est sanctū quoque Baptisma celebrari: Neque enim præiudicium Filio vel sancto Spiritu comparatur, dum ad Patris personam præcatio ab offerante dirigitur: cuius consummatio, dum Filij & spiritussancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur. Et cùm ad Patrē litantis destinatur intentio sacrificij munus omni Trinitati vno eodémque offertur litantis officio.

Nec deest methodus alia, qua probari possit Christiani huius axiomatis inconcussa veritas. Ea est miraculorum turba innumera, quæ apud om-

nes penè authores tam copiosa est, vt vllo vix numero cōprehendi possit. Quanquàm non dubito Cumanum hunc asinum leonis exuuiis mirè sibi placentē, nihil aliud habere in deliciis, quàm suorum tribulos errorum: ideóque fastiditurum miraculorum, quæ mox proferenda sunt, nectar & ambrosiam. Nō tamen desistam ab instituto proferēdi eius, qui sequitur, catalogi: Pauli nimirum
Actu.20. vestigia imitaturus, qui in Actis cap. 20. ait: Contestor vos hodierna die, quòd mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarem omne cōsilium Dei vobis. Interim sibi consulant oculi ægri, quibus est odiosa lux:
Esaie.6. quique vidētes non vident, & audientes non in-
Ioan.12. telligunt: adeò est excæcatū cor eorum, & mens,
Mat.13. & conscientia.
Timot.1. Primùm nemo est, qui ignoret: è cœlo demisso incēdio eum, qui ad supplicium trahebatur, recutitum Iudæum, ob indignè & irreligiosè tractatā Eucharistiam fuisse consumptum. Super qua re, ne quis hæsitare possit, perpetua supersunt indicia. Extat enim cœnobium à fundamētis erectū, vbi perfidus ille Iudæus hostiam sacram in aquæ feruentis ollam ebullire fecerat: quam etiam incē dio consumere (sed frustrà) tentauerat. Ab huiusmodi ebullitione, nomē hoc Les boulliettes ędes illa sacra ad hunc vsque diem retinet.

Quinetiam vti apud Parisios extat ollæ feruentis seu ebullientis ædicula sacra ob eam, quam suprà retulimus, causam sic appellata: ita & apud Bituriges phanum hodie visitur Fornacis canden-

tis.

cis. Cui rei occaſionem dedit Iudæi cuiuſdam arte vitrarij ſæua immanitas. Qui ſtatim vt reſciuit vnum ex ſuis liberis à reliquis Chriſtianis inuitatum ad ſumendam Euchariſtiam ritu Chriſtiano, eam religiosè ſumpſiſſe: extemplo furioſæ impietatis œſtro percitus, arreptum filium in fornacem coniecit nimio ardore candentem. Tantum autem abfuit, vt offenderetur paruulus, vt flammas etiam pro delitiis haberet. Cuius miraculi ſtupore commota genitrix, hactenus Iudaica impietate contaminata, mox in fidei verba iurauit. Re ſtatim cognita, iuſtus & innocens puerulus anguſtia liberatus eſt: & traditus eſt impius pater pro eo. Simile quiddam geſtum narrat Sigebertus ſub pōtifice Pelagio in partibus Orientis ſub annum à Virgineo partu. 552. Quo ſtupendo miraculo, manifeſtè comprobata eſt ſacroſanctæ Euchariſtiæ Miſſariique ſacrificij, vti in Paſchate fieri ſolet, in primis veneranda ſanctitas & veritas. Quis enim dicat in re tam mirabiliter diuinitùs oſtenſa, Dominum fuiſſe vanitatis authorem? Fuiſſet autē vanitati immenſa illa bonitas & ſumma veritas: ſi in ſacrificij huius exercitio, niſi ipſum eſſet, ſacroſanctum miraculorum fulgorem ædidiſſet. Eant igitur, & medij rumpantur Caluinates impij: niſi cōfeſtim manus victas dederint, & probatiſſime huic religioni duriſſimam hactenus ceruicem ſuam ſuppoſuerint. Qua de re ita retulit in Monoteſſaro ſuo zacharias Chryſopolitanus patriarcha.

Prouer. 11

Mortuus ille ſemel, licèt vltrà non moriatur:
Idem quotidie ſine vulnere ſacrificatur.
Panis in altari, Deus in cruce nil dubitetur.
Hæc verbo vitæ fieri vita ipſa fatetur,
Quæ vegetet mentem, niſi Chriſtus inania ſanxit,
In Chriſti carnem panis ſubſtantia tranſit,
Hac in carne nihil carnale, nihilve cruentum.
Spiritus hic tangit, videt, accipit ad monumentũ,
Ordo ſacer: bona traditio, pia victima panis.
Vnde procul facinus, procul horror & vſus inanis
Secretum fœlix, noua virtus, vtile ſacrum,
Quo factus ſanguis, liquor eſt in tale lauacrum.
Nam quia peccantes medicina ſemper egemus,
Hanc pro peccatis medicinam ſemper habemus.

Sed in viam redeundum eſt.

Refert, multos alios authores ſequutus, Fulgoſius in quodam apud Matronam oppido, phano quodam deintegrò ſuccenſo, ſolam Hoſtiam ſacram flammis nullatenus fuiſſe attactam.

Sed multo antè tēpore, plurium authorum teſtimonio, anno à parta ſalute. 1322. duodennem puellam triennalem ſuſtinuiſſe inediam, poſteaquam Hoſtiam ſacram dignè recepiſſet.

Quin & circiter id tempus is quem citauimus, author aſſerit Palumbam interamnenſem natu Peruſinam, annos viginti natã, ſacræ tantùm Hoſtiæ eſu ſeptem annos ſalubriter vixiſſe. Cuius rei certiſsima indicia colligit Innocentius octauus Pontifex ſummus.

Tanta fuit in diuo olim Gallorum Rege Ludouico ſuperni numinis gratia, vt cùm de more con

ſueuiſſet ad ſingulas templorum fores, in quibus Hoſtia ſacra ſeruaretur, caput aperire: cúmque phanum aliquod tecto capite præteriſſet, percunctantibus aulicis huius ceſſantis operæ cauſam, ſecreto numinis afflatu intellexiſſe refertur nullã illic Hoſtiam reſeruari.

Idem cùm fama crebreſcente intellexiſſet apud ædem aliquam ſacram Chriſti domini ſpeciem ſenſibus humanis apparuiſſe, ideóque inſtigaretur, vt rei tam admirandæ periculum facturus eò properaret, reſpondit: Eant qui ſuper tanti ſacramenti veritate hæſitant, mihi fide mea contento, nihil opus eſt noua experientia. Hoc apud ſe reputabat princeps religioſiſſimus, tum primùm fidẽ perdere meritum, vbi humana aut ratio aut experientia præberet experimentum.

Sub Adriano huius nominis ſecundo Lotharius nominis adulterij cùm Romã veniens, ſumpta ſacroſancta Euchariſtia ſe purgare voluiſſet, & à criminis huius ſuſpitione leuare: eo ipſo anno vnà cum criminis conſcij miſerè periit, nimirum ob indignè receptum huiuſmodi venerabile ſacramentum. Accidit id ſub annum quæſitæ ſalutis. 858.

Quid autem defunctorum memoriæ conferat auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium, Ludouici Imperatoris exemplum docuit. Qui cùm poſt fata filio apparuiſſet, obnixè exigens cœnobitarum ſuffragiis ſe liberari: peractis ſacris non multò pòſt purgatorias pœnas euaſit. Idque ſub annum. 875.

Idem penè accidiſſe legitur Othoni Imperatori ſub annum Domini.954. Id quod ex annalibus ſcriptum reliquit Chriſtianus Maſſæus.

Norunt penè omnes Odilonis Cluniacenſis cœnobiarchæ clarum inſtitutum, longo iam vſu à catholicis obſeruatum, de ſacris pro defunctorum memoria celebrandis altera die à ſanctorum omnium celeberrima feſtiuitate.

Quantum verò ſacra iſta liturgia apud Dominum valuerit, probat admirabile illud exemplum ſacerdotis apud eccleſiam ſancti Magni in Magdeburgēſi diœceſi Miſſam celebrantis. Qui cùm nomine eius, cui ſacra fiebant, iuſſiſſet quoſdam choreas ducentes ſuæ petulantiæ modum ponere, nec ſe audientes præſtitiſſent mandato: imprecatus eſt, vt nec etiam volentes ab huiuſmodi agitatione toto anno ceſſarent, quod & factū eſt: ita tamen, vt anno ſtatim elapſo, omnes annua illa agitatione defatigati miſerè perierint. Huius rei paſſim fidem faciunt authores, quam accidiſſe referunt ſub annum à parta ſalute ſupra milleſimum tertium, Henrico huius nominis ſecundo imperante, pontificem Romæ agente Benedicto octauo, & apud Magdeburgenſes Herberto archipræſulæ. Erant autem viri numero decem & octo, ſexus verò deterioris quindecim: qui in cœmiterio choreas ducentes in præuigilio Natalis dominici, non niſi poſt annum (vti iam dictum eſt) elapſum, omnes ad vnum annua fatigatione exhauſti expirarunt. Cuius rei monumentum poſteritati reliquit vnus ex eorum numero, nomine

Hubertus.

Hubertus.

Pari penè exemplo,aquis vehementibus abſorpti ſunt Traiectenſes nõnulli ciues, ponte ſub pedibus, dum choreas ducerent, fracto: vel ob hanc vnam cauſam,quod dum ſacra circunferretur Euchariſtia,diuini cultus ac pietatis immemores,in ſalutato ſoſpitatore Chriſto modũ ſuis vanitatibus non impoſuiſſent. Perierũt ea aquarum clade,pontiſque ad Moſam fluuium ruina,homines propemodum ducẽti,ad annum plus minus. 1277. Quid non efficiat ſacroſancti huius ſacramenti contempta religio? Sic enim fit, vt oculos quos culpa claudit,pœna aperiat.

Nota eſt cunctis ſacri belli in Abligeſios hiſtoria de anno ab orbe redempto. 1213. ductu & auſpiciis Simonis Montisfortenſis fœliciter conſummati. Tum verò maximè ſacrificij huius ſacroſancti vis perſpicuè apparuit in Simone duce: qui poſt criminum ablutionem,ſumpto reuerenter Euchariſtiæ ſacramento, Petro Arragonum regi mille tantùm virorum ſatellitio ſtipatus, intrepidus occurrit,& victor inde receſſit, cùm tamen conſcriptos milites Petrus haberet ad pugnatorum centum millia:è quibus viginti millia ſtrauit, fuſis fugatiſque reliquis. Gallus ille ſuccinctus lumbos ſuos ad nullius pauens occurſum.Incidit id genus victoriæ in decimam quartam Septembris,cùm celebraretur Exaltatę crucis memoria.

Quantum operæ in tutanda ſacræ Euchariſtiæ cauſa pręſtiterit,quàmque efficaciter euicerit

Præmonſtratenſium patriarcha Norbertus (qui & Robertus) ſub Honorio ſecũdo apud Antuerpiam oppidum, Maſſæi hiſtoria docet ſub annum Domini.1123.

Quin & noſtra ætate ſub annum Chriſtianæ ſalutis.1492.quidam Iudæus apella ſpretæ religionis pœnas dedit. Poſteaquàm in oppido Germaniæ Sternebarchio vigeſimaſecunda Octobris ſacram Euchariſtiam cultris pupugiſſet, ac ore ſuo ſpurciſſimo impiè conſpuiſſet: illa ſtatim, nutu diuino, multo effuſo ſanguine illatæ blaſphemiæ ſignum dedit. Continuò ad pœnam vocati Iudæi, ſuæ impietatis pœnas (etſi non æquas) dignas tamen retulerunt. Iudæus ille, author ſceleris, nomine Petrus: fractis primùm cruribus, rotario ſupplicio exhauſtus, profunda tandem ductus pœnitentia acerrimo incendij cruciatu in fata conceſſit.

Vt ne interim omittam, quod noſtra & ætate & memoria accidiſſe conſtat, Quercetenſium veſtalium horribile exemplum. Quæ ob indignè receptam Euchariſtiam, annis quatuor totidemq́ue menſibus ſpirituum malignorum incredibilem vexationem paſſę ſunt: adeò vt paſſim viderentur nunc ruſticatim vti caniculæ quædam diſcurrere, aliâs verò more volucrum per aëra volitare, nonnunquam vt felles repere in arbores, & ex earum ramis quandóque pendere. Horum prodigiorum vna hæc cauſa potiſſima fuit, in ſuſceptione ſacræ Euchariſtiæ contempta religio, referente dæmone, qui corpus veſtalis vnius obſidebat,

eò loci

eò loci Euchariſtiam ſacroſanctam quadringentis & amplius vicibus minus reuerenter fuiſſe ſuſceptam.

Sed nec illud ſilentio præteriero, quod ex Sigeberti hiſtoria deprehenditur: ſub nota anni ab orbe redempto. 1181. ſemel iterum, ac tertiò (variis tamen diebus & locis) ſe ſenſibus humanis conſpiciendum exhibuiſſe in ſacra Euchariſtia Chriſtum dominum humani generis redemptorem, apud Carnutes ſub Roberto epiſcopo, apud Flandros, itémque apud Andegauos. Idémque accidiſſe narrat in Fiſcanenſi eccleſia, cùm celebraretur veneranda ſolennitas ſemper & ſuper omnia benedictæ ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Ridebunt, vt ſunt ſacrorum petulantiſſimi inſectatores hæretici Caluinates, hanc (vt à nobis cõgeſta eſt) miraculorum ſtruem: quorum potiꝰ in- Pſal. 2.
intereſſet formidare, ne qui habitat in cœlis, irrideat eos, néve dominus ſubſannet eos. Ego verò (quantumuis illi aut cachinno rumpãtur aut inuidia) à cœpto itinere non deſiſtam, ſi non in eorum inuidiam, certè in piorum gratiam, narrabo opera domini, qui eduxit me de portis mortis, vt Pſal. 9.
annunciem omnes laudationes ſuas in portis filiæ Sion. Interim (vt ille ait) Rumpatur, quiſquis rumpitur inuidia.

Ædidit non multo ante noſtram ætatem tempore, Petrus cognomento Venerabilis, Cluniaci gregis cœnobiarcha, de miraculis ſua tempeſtate occurrentibus volumina duo: quorum nonnulla

ab oculatis teſtibus didicit, quorumdam verò pars magna fuit. Sunt autem plurima, quę pertinent ad memoriam eorum mirabilium, quæ fecit
Pſal. 110. miſericors & miſerator dominus, eſcam prębens timentibus ſe, memor in ſeculum teſtamenti ſui, virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo.

Refert ille in Auernico ſolo, quòd dum ruſticus quidam corpus dominicum in aluearium apum cõtemptim proieciſſet, neglectimque abiiſſet: rediens inuenit cæream ædiculam apes conſtruxiſſe, qua tegebatur venerabile ſacramẽtum. Dixiſſes rationis compotes apes, creatorem ſuũ reuerentiùs excepiſſe, quàm redemptus redemptorem. Qua ſua ingratitudine permotus ruſticus, volens rimari interiora velaminis, criminis ſui conſcius, fugatis apibus, introſpiciens videt pueruli ſpecioſiſsimi formam (veluti recẽs nati) inter fauos & mella iacere. Quę res manifeſtè indicat præſentem ſemper adeſſe Chriſtum venerabili ſacramento. Hęc (inquit Petrus ille Venerabilis) nuper geſta, eo quo referuntur ordine, ruſticus proprio preſbytero, preſbyter Claromontenſi epiſcopo, ille verò mihi: ego quoque omnibus iſtud legentibus intimare curaui. Nec verò (ait) tanti piaculi vltio dilata fuit. Breui enim locus anteà populoſus, vario caſu habitatore pereunte in ſolitudinem redactus eſt.

Neque hac relatione cõtentus refert in Teuthonicorum partibus preſbyterum quendam carnis illeſcebris irretitũ, dũ ſacris ſe frequẽti⁹ immiſceret,

ret, dúmque cõsecratam Hostiam ori suo impuro admouere tentasset, protinus disparuisse. Accidit autem id ei semel, iterum, ac tertio. Cuius rei frequentia permotus, longo post tempore pænitentia ductus, lachrymis, gemitibus, diutùrnaque inedia crimina diluens: demum pastoris proprij consilio, immò & seueriore mandato, ad diutius intermissum se accingit officium. Quod dum exequitur: pro vna, quam consecrauerat, hostia: tres alias, quæ antea indignè sumenti disparuerant, hostias in prospectu positas videt. Videt & calicis liquorem ad tertias auctum. Quo indicio, collegit placatum sibi dominum, quæ antea illi abstulerat, reddidisse. Huius historiæ testem citat Petrus, ille Venerabilis Claromontensem præsulem.

Idem ipse author est, testibus oculatis id referentibus, iuuenem quendam sua scelera dissimulantem, admotam ori sacram Eucharistiam deglutire nullatenus potuisse, nisi prius sceleris cõscius celatum crimen euomuisset. Quo peracto, leui manu, nullo negocio acceptam Eucharistiã traiecit in pectus.

Est propugnaculum quoddam ad fluenta Matronæ situm, Gornaium vulgus appellat: illicque visitur cœnobium Benedictinæ familiæ, vbi in pari causa impœnitens quidam monachus, pari euentu diuinam in se sensit vltionem, deteriora passurus, nisi digna pœnitentia sua crimina diluisset. Qua demum recepta. Hostiam, quàm prius traiicere non poterat, mira facilitate ore

exceptam, gutture deglutiuit. Huius rei teſtem occulatum, Petrus Radulphum Catalonenſem abbatem citat.

Illud propius ad ſalutaris ſacrificij energiam propalandam accedit, quod in Gratıonopolitanæ diœceſis territorio palàm contigiſſe narrat is, quem ſupra diximus, Petrus Venerabilis. Ruſticus quidam fodinam mineralem, vt antea ſæpe ſolebat, fortè ingreſſus: cùm ſubterraneos ſpecus ferro aperire vellet, mole ſtatim ingenti terræ delapſa obruitur: relicto tamen antro aliquo, quantùm ſatis eſſet corpori fouendo, vacuo: illicque ſolido anni interuallo ıllæſus permanſit, Miſſæ quotidianæ ſuffragio adiutus. Cùm enim ab vxore putaretur extinctus: curauit vxor quotidiano Miſſæ ſacrıficio, animam cùm de vita corporis deſperaret eius ſubleuandam. Mira res. Non defuit toto anno neque cibi neque accenſæ candelæ ſubſidium, quoties Miſſa celebraretur, præter dies paucos, quibus à ſacrificij celebratione ceſſatum eſt, impedimento quodam interueniente. Sub finem anni cùm fortè foſſores animum induxiſſent, vt glebam illam terræ excuterent, & foderent: audita eſt vox oppreſsi ad eos, vt ab his, quibus præmebatur, eum anguſtiis liberarent. Qui ſtatim vt ereptus eſt, collatione facta rerum vt geſtæ erant: manifeſtè compertum eſt virum illum priſtinæ incolumitati libertatique fuiſſe reſtitutum vnius ſalutaris ſacrificij opportuno ſubſidio.

Addam nihilominus nonnulla ad rem, de qua agitur,

agitur, pertinentia: quæ Gerardo cuidam ſyncerioris vitæ monacho Petrus ille Venerabilis accidiſſe refert, eius & ſenſum & verba reponens. Eſt (inquit) in Cabilonenſi epiſcopatu villa, quæ Bellus mons dicitur, ad ius Cluniacenſis Monaſterij ſpectans: vbi in honore beatæ Dei genitricis & virginis eſt Eccleſia, ob eiuſdem ſingularem memoriam, ſingularem (vt à multis comperi) orandi dans gratiam. Sunt ibidem & domus paruæ paucis ad manendum monachis ſatis congruæ. Erat tunc ibi circa natalem Domini iam dictus venerabilis Gerardus, & ſtudiis ſupraſcriptis infatigatus inſtabat. Aduenerat circuncisionis Dominicæ ſacratus dies: & ille nocturnis vigiliis deuotæ expletis, ad diurna ſe officia deuotius implenda parabat. Ventum eſt ad Miſſam, & more ſuo veſtibus ſacris exterius paratus, interius ſpiritu & fide repletus, ad altare acceſsit. Cúmque cæteris expletis ad Canonem perueniſſet, & verba diuina panis & vini ſubſtantiam in CHRISTI carnem & ſanguinem commutantia conſummaſſet: paululum ante dominicam orationem fortè oculos ad ſacra ipſa conuertit. Et ecce, (ſtupeo referens) formam quidem panis, quem altari impoſuerat, non vidit: paruum verò puerulum manibus & brachiis more infantiæ geſtientem pro eo conſpexit. Hæſit itaque conſpiciens, debito timore turbatus: & neſciens quid ageret, ad inuſitatum & cœleſte ſpectaculum tremens admirabatur. Legi olim quiddam his, quæ refero, ſimile: ſed di-

gnatio

gnatio aliquid nostro miraculo voluit addere, propter quod nullum huic inueniretur æquale. Nulla enim ætas præterita hoc conspicere meruit, quod nostris diebus author horum sacramentorum Deus Gerardo nostro vidēdum concessit. Nam dum hoc stupidus miraretur: conuertens oculos ad latus altaris, conspicit mulierem honestissimæ formæ: & vt intellectu conceperat, Beatam Virginem eiusdem Dei pueruli matrem, diligenti eum & velut materna custodia multa cum reuerentia obseruantem. Iuxta quam cernit Angelici decoris virum, immò (vt verè erat) à Deo Missum Angelum, cœlestibus sacramentis pariter cum illa astantem. Quantùm in corde ista cernentis tunc lætus accreuerit timor, quàm multiplicatum fuerit gaudium, qualiter cor eius & caro eius exultauerunt in Deum viuum: Psalmo octuagesimo tertio. Nec ego scribere, nec ille mihi potuit referre. Additur adhuc inaudito miraculo testimonium Angelicum: & eum, quem altari videbat assistentem, audit sibi Angelum dicentem. (Verba ipsa mihi ab eo sæpe relata, nihil plus minúsve continentia dicturus sum.) Quid (inquit Angelus) miraris? Hic puer, quem conspicis, cœlum gubernat & terram. His dictis, cœlestis visio abscessit. Post hoc dum rursum oculos ad salutaria sacramenta reduxisset, infantem iam videre non potuit: sed panis speciem, vt prius fuerat, altari superimpositam vidit. Hæc ille.

A cæ-

A cæteris abſtineo, quæ plurima ad rei, de qua agitur, illuſtrationem facientia ex eodem facilè depræhendi poſſunt: Niſi quòd illud omittere non poſſum, quòd de huius auguſtiſsimi ſacrificij vi & excellentia, à pio illo ac Religioſo viro Gerardo narratum Venerabilis ille Petrus recenſuit his verbis: Longo (aiebat Gerardus) tempore ſuper huiuſmodi re antiquus hoſtis fidem meam tentando vehementer aggreſſus eſt. (Et penè ab ſtatu ſuo, niſi gratia Dei iuuiſſet, concuſsit.) Quam tentationem multum & ſuprà quàm dicere poſsim mihi moleſtam, cum diu tolerarem, & ea de cauſa quantumlibet in Religione laborem meum me amiſiſſe putarem, cúmque iam in deſperationem labi me puſillanimitas cogeret: ad Beatam Dei genitricem vltimam ſpem contuli, & vt à tanto malo miſeram animam meam eriperet, totis animi niſibus rogare cœpi. Necdum ab incœptis precibus quindecim exacti fuerant dies, & ego ante maius altare maioris Eccleſiæ mihi aſtare videbar. Super quod velut vnius anni puerulum reſidens, me ad ſe accedere præcipiebat. Cúmque illi appropinquaſſem: vt panem ſanctum, quem manu prætendebat, ore ſuſciperem, admonebat. Quod vt expleui, adiecit: Accipe (ait) me, & in brachiis tuis per hui⁹ Eccleſiæ ſpatium defer. Hoc ego, licet cum multo timore, aggreſſus: eum in manibus ſuſcepi, & ab ipſo altari vſque ad extremum chori exitum, multa cum reuerentia portaui. Ab illo die ita cor meum omni,

qua

qua vexabatur, tentatione vacuatum eſt: vt nec veſtigium in eo præteritæ conturbationis remaneret, fidémque ſalutaris ſacramenti inconcuſſa ſtabilitate retineret. Hactenus Petrus Venerabilis. Vt autem &c.

His luce meridiana clarioribus teſtimoniis, luculenter apparet Miſſæ ſacrificium (etiamſi medij rumpantur hæretici) rem eſſe ſempérque fuiſſe ſuperis immortalibus gratiſsimam, mortalibus verò vtiliſsimam, ſi ſacro ritu peragatur, & eccleſiaſtico more reuerenter tractetur. Vt interim omittam, quid Nicolaus Cabaſila de diuino altaris ſacrificio iuſto ſcripſerit volumine: & is (quem ſuprà citauimus) Maximus Monachus de eccleſiaſtica Myſtagogia. Legant hæretici, vt bonas horas melius collocent, Gentiani Aurelij verſionem in volumen Baſilij Magni: inſuper & Chryſoſtomi de ritu diuini ſacrificij: vt tandem, (niſi ſint Marpeſia cautè rigidiores) ceruicem inflectere diſcant, & ſynceræ religioni præpoſtera ſua ſubiugare ingenia.

Iam verò quis non miretur, etiam vſque ad ſtuporem, iſtorum Iſmaëlitarũ improbitatem: quorum manus contra omnes, & manus omnium cõtra eos: omnium, inquam, quæ ſub cœlo ſunt, nationum: apud quas Chriſti memoria perſeuerat, cùm Chaldæa etiam lingua Chriſto ſacrificet? Armeni tametſi in nonnullis à nobis diſſideant, in re tamen ipſa: ſacrificiiq; nomine nobiſcum conueniunt, inq; catholicorum ſententiam pedibus accedunt. Græcorum ſacerdotium quid de hac re ſen-

re ſentiat, quid attinet dicere, cùm Baſilij, Chryſoſtomiq́ue liturgia rem totam perſpicuam reddãt? quam ſuis commentariis illuſtriorem reddidit Maximi Monachi Myſtagogia, ſeu introductio ad ſacra Eccleſię myſteria, citato in eam rem diui Dionyſij Areopagitæ teſtimonio. Sed his cõſtituendis probationibus hîc modus eſto, vt tãdem ad cætera pergamus.

Quòd ſi huiuſmodi hæretici, vt ſunt peruicaciſsimi, hoc vno indicio ſibi impunitatem promittant, quòd cùm multos iam annos ſuis blaſphemiis volutati, veluti immerſa luto ſus, nihil triſte ſiniſtrúmve à ſuperis receperint: id à nobis reſpõſum recipiãt, quod de Atheo quodam Celio Valerius Martialis acerrimo ſcommate eius impietatem expungens cecinit:

Nullos eſſe deos, inane cœlum
Affirmat Celius, probátque: quòd ſe
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

Illud autem non ignorant, etiam Ethnici: lento gradu ad ſuæ iniurię vindictam, diuinam iram procedere: nam & ipſam tarditatem grauitate cõpenſat. Quantò minus poteſt latêre hæreticos, quod ſcriptum eſt: Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & volucres dulci ſono: ſic capiuntur homines in tempore malo. Eccls. 9.

Propter quod rectè admonet Sapiens: Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Miſericordia & ira citò ad Deum proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes conuerti ad Eccli. 5.

Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Nec se credunt beatos hæretici sacra prophanantes: quin potius semper cogitat sæua perturbata eorum conscientia. Verùm metu adacti, quum se abstrahere nequeant à luto fæcis, ne scilicet de suo gradu deiiciantur, néve pœnas incurrant grauiores, perpetuò hærent in sua salebra. Qui scire debuerant, melius fore si inciderent in manus hominum, quàm in manum Dei viuentis. Tantùm verò abfuit, vt beatus aut videretur, aut esset atheus ille Celius, vt de eo alio loco idem Martialis scripserit in hunc modum:

Daniel.13. Hebr.10.

Cœpit fingere Celius podagram:
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit, obligátque plantas,
Inceditque gradu laborioso,
(Quantum cura potest, & ars, doloris?)
Desiit fingere Celius podagram.

Verùm satis intelligunt, se in hoc tantùm vocatos, vt maledicant: veluti olim tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum corā filiis Israël, edere & fornicari. Apoc.2. Cùm igitur sint ad maledicentiam conducta mācipia, proprio ventri, & conductorum suorum auribus seruiant necesse est: alioqui aut inedia cō ficiendi, aut certè cùm aufugere nequeant, extremo afficiendi supplicio. Sed satius ac rectius fuerit, eorúmque saluti conducibilius, pro veritate subire supplicium, quàm pro impietate suscipere beneficium. Hanc illis mentem sua pietate largiatur,

Num. 24. & 25.

giatur,

giatur, datámque conſeruet, Deus ac Dominus ſemper & ſuper omnia benedictus: cuius laus perennis & immenſa gloria nec vllo compreheditur numero, nec clauditur periodo.

NVNC ſe offert in proſpectu, quàm malè feriata ingenij prōptitudine ad ſolitas ſe proripit artes hiſtrio Caluinicus, ad maledicendum tantùm ſcurra & athleta ſemper indefeſſus, ad cętera nullius virtutis aut ingenij. Qui vt ſe ab authorum probatiſsimorum teſtimonio, quo præmitur, ſubleuet eorum authoritatem: cùm nihil aliud habeat quod obtēdere valeat, quantum poteſt eleuare conatur (ſi tamen inueniret cui imponere poſſet) his verbis:

[Citantur illic graues authores, quorum & pōdere obruātur, & ſplendore extinguantur, & maieſtate concidant omnes hæretici, Iuo Carnotenſis, Speculator, Abbas Panormitanus, Iſidorus, Thomas Aquinas, Bonifacius, Papa Nicolaus, & ſimiles. Quid ni? Cùm ex empticiis Speculatoris reſponſis oracula faciat. Quis tam bene inſtructo athletæ victoriam non deſpondeat?] Caluinus.

Hæc pugil inuictus effutire audet, dignus cui corona decernatur. Sed quænam? Laureáne, an oleagina? Nihil minus, verùm potius Refutatio

Taxus olens, eruca ſalax, grauis herba veneni.
Nam Caluinates talia ſerta decent.

Sed quos, vt à nouiſsimo incipiam, Nicolao Pontifici ſimiles vocat? Hij certè intelligēdi ſunt, qui Caluino & Caluinatibus ſuis cenſeātur omni

gradu & numero dissimiles, totáque à sordida illa cohorte distantes diametro. Distant enim mõstra illa impurissima ab huius Nicolai sanctitate & honore, quantum à corpore vmbra, à lana pili, à farina puluis, à pane saxum, fel à melle, scorpius à pisce. Nicolaus iste (vt à nouissimis incipiam vsque ad primos) suam sic & vita & sapientia ornauit ætaté, vt nemo amplius aut melius: vt qui suo sapiẽtię torrẽte, Michaëlis Imperatoris ferociam domuerit: Salomonis regis Britonici impetum cohibuerit, ne Turonicæ in hierarchica ditione facultatis fines inuaderet, iurisdictionémque archiepiscopalem decurtaret. Cuius si scripta legisset, qui nihil nisi maledicentiam didicit, Caluinus: intellexisset profectò, quòd cùm ex Paulo mi
Hebr. 7.
nor à maiore benedicatur, non ediuerso: si non licet ei qui minor est omni catholico, nempe hæreticus, maiori suo benedicere, multò minus licuisse maledicere. Nec Nicolao similes arroderet, quem scire debuit vix vllum habuisse sua ætate similem: qui vno omnium ore, qui de eo verba fecerunt, fuit in omni genere virtutis vnici viri exemplar. Amabatur à clero, laudabatur à nobilibus, à plebe magnificus habebatur. Quique pro se maledicis ita respõdet: Vbi (teste conscientia) Deus est in causa, ibi omnino beatitudo speranda: & vbi mendacium sæuit, nulla ibi timenda cõuitia. Quia (inquit) quæ vos maledici laudatis, ille reprehendit: quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Sed nos propter Deum, etiam à non vera dicentibus, iniurias illatas æquanimiter ferimus.

Hæc

Hęc verba accipito, Caluine, veluti camum in naribus tuis, & in maxillis frænum: qui putas multos ſimiles habere Nicolaum, qui re & nomine habitus eſt victoria populi, perpetuóq; apud eos, qui eius ſcripta legerint, habebitur & acclamabitur.

Rides ipſe tu ridiculum caput, quòd Bonifacium, diuũ Thomam, Speculatorem Durandum Mimatenſem præſulem, Carnotenſem pontificem Iuonem, teſtes produxerim catholicæ ſententiæ.

Bonifacium in Antidoto noſtro citauimus, ſed illum Germaniæ magna ex parte Apoſtolum: illum, inquam, prius monachum, deinde, pontificum iuſſu & approbatione, Mogũtinenſem præſulem & primatem: tandémque, quod omnium titulorum laudem ſuperat, pro Chriſti nomine martyrem. Cuius ſcripta ad Zachariam pontificem à nobis excerpta, ab vniuerſali Eccleſia commendantur & probantur. Túne tam impius eris, vt leuem aut futilem dicere audeas totius Eccleſiæ eius ſcripta probãtis authoritatem? Quæ tam ſcripta quàm geſta tanti habentur apud Zachariam pontificem, vt ad eum ſcripſerit his verbis: De eo nanque quod ſuggeſſiſti, quòd elegerunt ciuitatem vnam omnes Frãcorum principes contingentem vſque ad Paganorum fines, & in partes Germanicarum gentium vbi ante prædicaſti, quatenus ibi ſedem metropolitanam perpetuo tempore habere debeas, vt inde cæteros epiſcopos ad viam inſtrueres rectitudinis, & poſt tui

ſucceſſores perpetuò iure poſſideant: hoc quod decreuerũt, læto nos ſuſcipimus animo, eo quòd ex Dei nutu factum eſt, vel ſi quidẽ falſi ſacerdotes & ſchiſmatici hoc impedire conati ſunt, quorum vanum agonẽ dominus diſſipabit, & illa faciet ſtabilita, quæ ſanctorum patrum ſtatutis conueniũt concordare. Et quia tibi ipſi principes Frãcorum in hoc etiam adiutores extiterunt, retribuat illis omnipotens Deus, viciſsitudinis præmium, & innumera largiatur bona. Hęc ille. Is autem eſt, qui conuerſo ab Vunifrido, in Bonifaciũ nomine, genere Scotus, in Anglia monachus, cũ tantùm quinquénis eſſet, in Phrygia martyrio coronatus eſt. Cui tantùm tribuit Gregorius ſecundus, vt de eo hæc in mandatis relinquere non dubitarit, ad Germanos ſcribens. Bonifacium reuerẽdiſsimum fratrem noſtrum epiſcopum, ad eaſdem partes dirigere ſtuduimus, vt & illis prædicando verbum ſalutis vitam prouideat ſempiternam. Et ſi quos forte vel vbicunque à rectæ fidei tramite deſtitiſſe cognouerit, aut aſtutia diabolica ſuaſos erroneos repererit, corrigat, atq; ſui educatione ad portum reducat ſalutis. Eóſq; ex Apoſtolicæ ſedis huius doctrina informet, & in eadẽ catholica fide permanere inſtituat. Cui hortamur ob amorẽ domini Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum eius reuerentiã, vt in omnibus pareatis niſibus totis: eúmq; in nomine IeſuChriſti recipiatis, vt ſcri-
Matth.10. ptum eſt de ſuis diſcipulis: Qui vos recipit, me recipit. Prouidentes inſuper neceſſaria itineris eius comites, tribuentes cibum etiam & potum, vel ſi quid

quid eguerit largientes: vt vno labore & ſocia voluntate opus ſibi creditum pietatis & negociũ ſalutis, annuẽte Deo perficiatur, atq; præmia laboris perpetuò percipere mereamini. Si quis itaque huic famulo ad illuminationem gentium ab hac Apoſtolica ſede deſtinato aſſenſum vel concurſum præbuerit, exorantibus Apoſtolorum principibus conſortia mercatur ſanctorũ. Si quis verò (quod non putamus) aduerſando eius præpedire conatus fuerit labores, aut cõtrarius extiterit miniſterio ſibi credito, ſucceſſorũq; eius eundẽ laborem intrantium: ex ſententia diuina anathematis vinculo percellatur, & perpetuæ dãnationi ſubiaceat. Bene valete. Data Cal. Decembr. imperante domino piiſſimo Auguſto Leone, à Deo coronato magno imperatore, anno VII. imperij eius.

Deniq; is eſt Bonifacius martyr, à cuius limpidiſsimo fonte omnium catholicorum ſuffragiis receptiſſimus canon emanauit: Si Papa. Recenſetur diſtinct. 40. Sed & non leuis inſcitiæ indiciũ eſt, ꝙ non attẽderis qua mẽte, quóve nomine hos ego citauerim authores, Iſidorũ, Speculatorẽ, & Iuonẽ Carnotenſem. Citaui equidẽ ſententias ab eis recenſitas, fultus tamen Eccleſiæ approbantis teſtimonio. Laudat Eccleſia Iuonis Panormíam. Cõmendant iuriſperitiſsimi omnes Speculatoris in iudiciis profunditatem, in conciliandis authoribus ſolertiã, in perluſtrãdis canonibus inimitabilem diligentiã. Quam ob cauſam non ipſe ſibi, ſed illi ei vltrò Speculatoris nomen indiderunt. Tu verò nec ſpeculum eius agnoſcis, quia cæcus:

nec ad ſpeculam eius adſpiras,quia prorſus es excerebratus. Sycophanticum eſt,ꝙ cùm eum mordere nequeas,arrodis ſaltem ab empticiis reſponſis ac promercalibus oraculis : à quibus tam alienus ſemper fuit,q̃ tu à rectæ fidei intelligẽtia. Appellatur à quibuſdam naturæ miraculum,ab aliis verò pater practices,& maximè in iudiciis ferendis authoritatis,& à quibuſdam celeberrimus iuris interpres , ac ingenio perſpicaci,& ad omnia parato. Verùm ego (vt dixi) non tam Iſidorũ nomine Iſidori citaui , q̃ totius Eccleſiæ eius verba recenſentis & approbantis conſenſu (vt ſic dicã) panionico. Citaui enim locos in canonem redactos ex Iſidori ſentẽtia excerptos. Non ergo tam Iſidori, q̃ ipſius Eccleſiæ attẽdẽda eſt authoritas. Quid ꝙ præluxiſſe conſtat hunc Durandum Mimatenſem præſulem concilio Viennenſi , ex quo bona pars Decretalium congeſta eſt & conflata, ædito palàm volumine de conciliorum congregãdorum formula:perlectis (vt idem ait) dudum cum diligentia à ſanctis patribus conciliis generalibus & prouincialibus , aliíſque pro ſtatu vniuerſalis Eccleſię conſtitutionibus.Cũ igitur Speculatoré profero,non tam ipſum q̃ Eccleſiæ proceres in teſtimoniũ voco. Tu verò quin aliquos ꝓfers,quos à tua parte ſtãtes his opponere poſſis? Sed ea eſt ſingularis animi tui feritas, vt nec parẽ admittere digneris nec ſuperiorem. Quomodo enim conuenire poteris alteri,qui tecum ipſe diſſides ? Gaudent catholici alieno ſemper teſtimonio , nihil minus cupientes q̃ inniti propriæ prudentiæ.

dentię. Tu verò nec tuũ pateris in longum proro gari iudicium: nec habes cordatum aliquem, qui tuæ aſſertioni ſuccinere aut velit, aut audeat.

De diuo Thoma quid muſſitare auderes, quem in his (quæ præſertim ad religionem pertinent) qui ſequuti ſunt, pleriq; omnes ſic admirantur, venerantur, ac ſuſpiciunt: vt iam planè agnoſcãt vero verius fuiſſe prædictũ de eo vaticinium, cũ bos mutus à quibuſdã exiſtimaretur, eum bouem boatu ſuo omnibus antea ſæculis inaudito orbẽ vniuerſum excitaturum. Non enim tantùm prælegitur à Latina Eccleſia, immo & ab ipſa Græca orientali: cùm ſatis conſtet multa eius opera Helleniſmo fuiſſe donata, & in linguam Græcam tra ducta. Bos ille fuit, qui pullulãtes omnes hæreſes ſuis cornibus ventilauit. Qui gentiliũ errores ſtri cto mucrone confodit. Quiq; areã Euãgelicam, collatis omnium procerum Eccleſiæ ſentẽtiis, ita expurgauit: vt fateantur omnes ex aureis Doctorũ verbis auream cõtexuiſſe Catenam. Et tu tales ac tãtos viros lingua tua procaciſſima per ironiã graues, hoc eſt, (quod dicere erubeſcis) nomine leuitatis traducis. At cohors illa Doctorũ q̃ grauis apud omnes fuerit authoritatis, nihil opus eſt vt comprobem, cùm illa tuæ vanitati comparata, ſi ad ſtateram iuſto penſetur æquilibrio, tuam (qua nihil leuius eſt) leuitatem ita eleuare poſsit, vti talentum ſtipulam. Fuit enim in lege Domini voluntas eorum: ideóq; fructum dederunt in tẽpore ſuo, & folium eorum non defluxit. Vos autem non ſic impij, non ſic: ſed tãquam acus, glu- Pſal. 1.

ma, aut puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Ideo non resurgetis in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum. Dum igitur illis maledicis, teipsum traducis, vti olim Zoilus seipsum. Qui cùm Homero malediceret, audiuit: mirum esse eum, cuius opera innumeri literarum studiosi pascerētur, ab eo probris affici. Qui dum hæc agit, nec propriæ consulere posset inediæ. Idem ipse Zoilus quum interrogaretur quamobrem ita studeret omnibus maledicere: quoniam (inquit) malè facere quum cupiam, non possum. Et id quidem insipientis esse indicium, Ausonius his verbis constanter asserit:

Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.

Tuis quantumuis, aut certè quantum poteris imponito. Viri certè omnes cordati tales eos esse existimant, vt nec Momus ipse, sed nec ipsa inuidia, vllam calumniandi ansam inuenire posit in his, quos imitamur, authoribus.

Quòd autem tuo mimico plausu, ac veluti simię cuiusdam ridiculæ nutu ac renutu cochleæ nomine, Cochlæum virum integerrimum traducere niteris: hoc agens, tibiipsi notā inuris. Rectius enim tecum ageretur, si ita fugisses, vt ne præter casam: quod vni cochleæ natura cōparatum est: siue eius tarditatem maturitate compensasses: aut certè vt limaces solent, corniculis (quando oculis non potes, penitus excæcatus) iter prætentasses perniciose à te inchoatum, perniciosius prorogatum, iámque tandem pestilentissimè peractum.

Tibi

Tibi igitur eundem erat ad cochleam, vt disceres genium eius. Quæ cùm omnia sua secum portet, seque in sua contineat pellicula, per eam monitus esse debueras, immò etiá persuasus, ne dum teipsum extrà requiris, honore, rebus, atque adeò religione, sensuq; communi infœliciter denudares: cautior effectus Sapientis instituto, qui ait: Sapiés videt, & præcauet: stultus auté transilit, & confidit. Vtili⁹ lōgè tuisq; vsibus commodius foret, cochleæ vitam cōplecti, quàm te à tua religione longius euagantem in profundū deuenisse malorū. Prou.14.

Restaret nouissimè tuis respōdere cōuiciis, si tamen id modestia Christiana pateretur. Sed quia partim responsum esse scio, reliqua conniuenter prætereunda céseo: ne ocio simul abuti videar & negocio. Id mihi dixisse sufficiat, nisi velis vanus comprobari, citò tibi moriédum esse. Alioqui tu vnus supereris pari illo morionū à te delecto longè stupidior: nec tantùm morionatus, immò vesaniæ nomine multis gradib⁹ insignior. Quid enim si eò perueneris, vt pondere sesquimorionem & & mensura præstare possis? Nec longè huius assertionis probatio petéda est. Id enim toto hoc opere refutata & exibilata vanissima tua cōmenta cōprobát: in quibus, vt semper soles, prodis insaniá. Quá nec ipse tu poteris diffiteri, nisi simul Paulū abnegaueris: cuius tamen fucato velamine, te aduersus catholicos protegis more hæreticorū omnium, quibus peculiare est scripturæ armis vti aduersus scripturam. Siquidé aliquid habuisses cum sapientia commune, Pauli intétionem sequutus,

2. Cor.11. ſuſtinuiſſes modicū quid inſipientiæ noſtræ. Quā cùm ferre non potueris, nec teipſum intra moriæ tuæ pelliculam continere: apertè oſtendis te eſſe
Ibidem. inſipientē. Libenter (ait diuus Paulus) ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapiētes. Hinc ergo ediuerſo colligitur, te nec micā ſalis habere: qui noſtrā nec ad momentum ſuſtinere potueris, quā dicis inſipiētiam. Neque enim quicquam aſſerimus ex nobis, tanquam ex nobis: ſed ex patrū & priſcorū & recentiorum ſententiis. Quos ſi in eodē moriȩ albo reponēdos cenſes, vt es maximè petulans & peruicax: ego te non modicū deſipere, immò vehemēter inſanire, iure optimo aſſerere & poſſum, & debeo. Vna enim eſt peruicacia, quā nec diſſimulare catholici, in reb⁹ præſertim ſacris, vlla ratione poſſint. Et hic limes eſto refutationis ac traductionis tuarum in catholicos ſycophātiarum. De his loquor, quæ ad man⁹ noſtras peruenerūt. Cætera perſequi nihil aliud fuerit quàm ludere operam, cùm crimine ab vno promptum ſit reliqua omnia colligere.

Nec ſatis (vt ne etiam illud omittā) tibi fuerat conuiciorū aſperginibus Eccleſiæ orthodoxæ cādidatos omnes illeuiſſe: niſi ſacræ etiā ſcripturæ maieſtatē, quæ tibi ſacroſancta eſſe debuerat, non tā vertendo quàm peruertendo, nec tam illuſtrando quàm obſcurādo, cōmētis potius quàm interpretationibus contaminares. Vt dum in hac par-
2. Tim. 2. te Paulum veracem oſtenderes, qui ait: Sermo hæreticorū vt cancer ſerpit: corruptor es, non corrector, qui ex bonis Hebraicis Grȩcis & Latinis ȩditionibus

tionib⁹ impias ac blaſphemas vernaculas feceris. Torques enim ſcripturæ energiam etiam repugnantem, annotatiunculis marginalibus in locos Melanchthonicos ac prorſus Lutheranos, non tã theologicos quàm matæologicos: in hoc ſolùm intentus, vt ſacramẽtorum maieſtatem proteras, votorum integritatẽ laceres, ſuperorum atq; inferorũ iura cultumq; obſcures ac dilanies. Deniq; candida omnia in nigra, & nigra in candida vertas. Sed ſcimus ſcriptũ eſſe, quòd Modicũ fermentum totam maſſam corrumpit. Rectiſſimè quidẽ (vt ſiquando aliâs) Beda Venerabilis pronunciauit nullã falſam eſſe doctrinã, quæ non aliqua vera intermiſceat: atq; ideo fugiendã eſſe hæreticorum doctrinã, veluti quandã lepræ contagionem. Quæ ſic vera falſis cõmiſcet, vt vna eadémq; narratione, tanquã in vnius corporis colore & apparentia, vlcera proferat multis in locis cutis maculam declarantia. Ideóq; tota in vniuerſum explodẽda eſt, prorſusq; eliminãda: pars ne ſyncera trahatur. Mittit hæretic⁹ munera in ſpeciem decora & elegãtia, ſed mittit in hamo: quo ſemel attact⁹ piſcis, omnib⁹ vnca cibis æra ſubeſſe putet. Cùm verò in omnia mittas manum, non prophana tantùm, immò nec à ſacris abſtineas: vt tibi vni liceat ſine riuali ſcripturiendo debacchari, inueheris in pleróſq; huius ætatis ſcriptores. Scripturientium licentioſam taxas libidinẽ. In ea verò parte quînã ex vniuerſo bipedum genere magis delirant, laſciuiũt, bacchanaliter certãt, curioſe vagantur, periculoſius occurſant, quàm tu tuiq; Caluinates ne-

1.Cor.5. & Gal.5.

bulo insolentissime? Cęteri enim etsi leuiculè saltitent, aut ridiculè cursitent: se tamē suis & Ecclesiæ continent limitibus. Ita fugiunt, vt ne constitutos à patribus prætergrædiātur limites. Suo tantùm non alieno, vt vos virulenti soletis, periculo verba effutiunt. Vestra autem omnia in literas relata dogmata, obuios quosque vel solo aut intuitu aut attactu mira contagione offendunt. Porrò viciata corpora quantò altius erigas, ampliúsve nutrias, eò deteriora mortiq́ue viciniora reddas. Sed in hoc saltē principes nec semper nec omnibus dormiūt: dum vestræ virulentæ doctrinæ spuria vitulamina ignibus tradunt, authoresq́ue impuritatum vestrarum velut ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Hieronymus & Augustinus, etiā inter medias hæresum flammas, populo quidē instillabant potum, cibumq́ue præstabant salutarem, sed pręmāsum prorsus ac digestū: vt nihil superesset aliud, quā in viscera traiicere, omni labe, cruditate ac cōtagione carentē. Vos autem nihil aliud, quā corruptum, fœdatum, vestris laniatum vnguibus, velut harpyie solēt, execrationibúsque blasphemiarum consputum, dementatæ iam plebeculæ quan-
Cap.34. dóque etiam refugienti obtruditis. Id quod indignè fert Ezechiel, dicens: Quod pedes vestri turbauerant, oues meæ hoc bibebant.

Nolunt catholici (vt vos impudenter mentimini) plebem ex ore pendere prædicantium, verùm ex patrum potius authoritate, mente, ac intelligētia: quorum testimonia affatim è publico sugge-

sto

ſto ſuppeditant, enarrant atque interpretantur. Vos verò qui eſtis? qui corrupta mēte, animóque deplorato, quæcunque vobis in mentem veniūt, mera ſomnia pro ſacris oraculis arrogantiſſimè propinatis, & id quidem ex vaſe corruptiſsimo, corde impuro, conſcientia immunda, cùm tamē id verum eſſe conſtet.

Syncerū niſi vas, quodcunque infundis, aceſſit.

Purius autem ex ipſo fonte bibuntur aquæ, per canales ſanctorum patrum diductæ ac deriuatæ. Ideo quæcūque à vobis prodeunt dogmata, merito extruduntur à viris cordatis, qui hanc apud ſe cautionem identidem repetunt.

Quicquid id eſt, timeo Danaos hęc dona ferētes.

Ab immundo enim quis mundabitur? & vetat legiſlator Moyſes tactum à beſtia, vel extremis aut labiis aut digitis cōtrectari. Ceſſent igitur tuæ verſiones peruerſæ, tuique commentitij commētarij, putidæ interpretationes, ac melle lita venena. Prius reſpexit Dominus ad Abel, quā ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit, cui citra numerum ſupráque omnem periodum perennes gratiæ.

Eccle. 34.
Exod. 22.
Gene. 4.

TOMVS SECVNDVS.

SVCCESSIVAE huius operæ pars altera impendenter in laruis retegendis, techníſque diluendis, blaſphemi huius ſycophantæ Caluini. Qua in re primum locum obtinebunt veſana impiáque eius commenta, quæ in ſacroſanctæ Euchariſtiæ venerabile ſacramentum expuere non formidarit: decerpta quidem ex farragine, quã aduerſus Eccleſiæ Catholicæ placita ſanctiſsima (vt in cæteris ſolet) euomuit. Primũque vbi ſic ait.

Caluinus. [Sunt qui manducare Chriſti carnem vno verbo definiunt, nihil aliud eſſe, quàm credere, ſed mihi expreſsius ac ſublimius videtur voluiſſe docere, nos vera ſui participatione viuificari.]

Refutatio Hæc dicens ſingularis iſta fera, non noſtris tantùm catholicis, immò & ſuæ factionis hæreticis bellum indicit. Quæ ſcire debuerat, veram Chriſti participationem digna ſui corporis ſumptione perfici & conſummari. Sed amplius ſuam retegit inſaniam, dum ait:

Caluinus. [Illis manducare, duntaxat eſt credere, ego mãducari Chriſti corpus & ſanguinem, fructum fidei eſſe dico.]

Et id

Et id quidē non prorſus abnegauerim, ſed non ea qua proponitur mente. Nam qui negat corpus Chriſti eſſe ſub Euchariſtia: dicere habet, quomodo Chriſtus manducatur indignè magno mãducãtis malo, & ſine fructu. Ait enim diuus Paulus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ruit ergo eius fundamentum, aſſerentis non poſſe manducari ſine fructu fidei: alioqui manducari nunquam poſſet indignè, quæ verba Pauli arguunt præſentiam corporis Chriſti. Hic autem ſuam amplius inſaniam retegens ait. Refutatio 1.Cor.11.

[Fide eminus, manducatione cominus Chriſtũ ſe nobis communicantem complectimur.] Caluinus.

Sed quid ſibi vult iſta battologia, manducari Chriſtum manducatione cominus, niſi cùm verum corpus Chriſti cum gratia percipitur ſacramentali? Non ergo ſola fides ſufficit, quæ eminus tantùm reſpicit. Exigitur enim, quæ fide maior eſt, charitas, etiamſi adſit vera corporis Chriſti præſentia: id quod catholici contra hæreticos vſque ad rauim inclamant. Hic autem libera te, (ſi potes) & à battologia & ab antilogia vaniſsimè impoſtor Caluine, aut tuum errorem agnoſce. Cui negocio cùm te imparem eſſe ſcias: vt latitãs anguis in herba, nihil interim pronuncians, ita ſibilare cogeris. Refutatio

[Huius rei myſterium ne animo quidem ſatis compræhendere me video: idque fateor, ne quis eius ſublimitatem infantiæ meæ modulo metiatur.] Addit tamen. Caluinus.

Caluinus. [Quòd cogitando animus ſuus plus valeat, quàm lingua exprimendo.]

Refutatio Cùm tamen rei magnitudine vincatur ille, atque obruatur. Deſine igitur tandem ſibilare vipera. Tuæ in ea re infantiæ cauſa ab eo pendet, quòd ambulaueris in magnis, & in mirabilibus

Pſal.130. ſuprà te. Ideóque ſicut ablactato à matre ſua, ſic eſt retributio in anima tua. Aut enim ſcire, aut recordari debueras, quid Sapiens dicat: Altiora

Eccli.3. te ne quæſieris, & maiora te ne ſcrutatus fueris.

Prou.25. Perſcrutator enim maieſtatis opprimetur à gloria. Sed quomodo iſta conſtare poſſunt, quòd infantiæ tuæ conſcius dicas.

Caluinus. [Sententiæ meæ ſummam exponam, quàm nihil dubito veram eſſe.]

Refutatio Hic petulãtiſsimè profiteris te veridicum Doctorem, illic verò te agnoſcis infantem: vt hoc loco nec antilogiam, minùs verò petulantiam tuam (ſaluo pudore) inficiari nequeas. Nec ſcõ-

Iob.38. ma effugere potes eius, qui ait: Quis eſt iſte, qui inuoluit ſententias imperitis ſermonibus, nihil aliud proferens, quàm verborum inuolucra? cum neſcias neque quid loquaris, nec qua de re enuncies. Dum igitur infantiam profiteris, verax: dum te veridicum aſſeris, mendax depræhenderis &

Ioan.8. arrogans. Tu enim de teipſo teſtimonium perhibes, & teſtimonium tuum non eſt verum. Eiuſdem farinæ eſt, quod ſequitur.

Caluinus. [Fons vitæ vbi habitare in carne noſtra cœpit, iã corã ſe participandũ exhibet.] Moxq; ſubiungis.

Caluinus. [Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro

mundi vita.]

Quæſo, quid iſta ſibi volunt: Statim ab incarnatione Chriſtus ſe participandum obtulit, qui tamen ait: Panis, quem ego dabo, &c. Quando igitur ſe dabit, niſi per præſentiam in Euchariſtia, qui iam ſe exhibuit, cùm noſtram cœpit induere carnem? Hic te tuis nugaciſsimis verbis implicas & inuoluis, vt merito quis in te deſideret ſenſum communem. Neque his contentus, adiungis: Refutatio Ioan. 6.

[Fateor ſanè fractionem panis ſymbolum eſſe, non rem ipſam: Verum ſymboli exhibitione rem ipſam exhiberi colligemus.] Caluinus.

Quid audio? Res ipſa non eſt ſymbolum, cùm tamen exhibitione ſymboli res ipſa exhibeatur. At quid eſt ipſa res, niſi præſentia corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti? Si merum ſymbolum, quomodo erit rei exhibitio? Si accedit exhibitio, quomodo dicetur merum ſymbolum? Hic augurio potiùs, quàm interpretatione opus eſt. Et vt per omnia tibi ſis contrarius, mox adiungis. Refutatio

[Hanc tenendam eſſe regulam, vt quoties ſymbola videntur, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certo cogitent, ac ſibi perſuadeant.] Caluinus.

Quin igitur tibi perſuades verã corporis Chriſti ſubſtantiam adeſſe? Tu tibiipſi teſtis es, qui hoc negas, quòd non ſis de numero piorum, quibus hanc regulam indixiſti tenendam. Neque id mirum. Nam qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Addis inſuper: Refutatio Ioan. 8.

[Accepto corporis ſymbolo, nõ minus corpus Caluinus.

etiam ipſum nobis dari certo confidamus.]

Refutatio. Ecce quàm tibi non proſunt, quæ proſunt omnibus, artes. Id enim, quod ingenuè profitemur, verum corpus Chriſti nobis dari in Euchariſtia: id planè inficiaris, qui ais corpus Chriſti lōgè abeſſe à ſacra Euchariſtia. Nunc veniamus ad commentum illud tuum, quo ais:

Caluinus. [Tria ſubeſſe huic Euchariſtiæ myſterio, nempe in promiſsionibus, ſignificationem: in materia, aut ſubſtantia, Chriſtum cum ſua morte & reſurrectione: in effectu, redemptionem, ſanctificationem, vitámque æternam.]

Refutatio. Hic augure opus eſt, aut certè Apolline, nobis: adeò omnia profers inuolucris verborum obſcura & nubila. Demus itaq; ſignificationem in promiſsionibus, eſſe verba promiſſoria. Nunc quid appellas ſubſtantiam, quam Chriſtum eſſe dicis cum ſua morte & reſurrectione? Si igitur Chriſtū tanquam materiam vis adeſſe, qui mortuus eſt & reſurrexit: hoc vtique eſt, quod dicimus hāc materiam huic ſacramento non deeſſe. Quòd autem tertio adiungis, pro effectu huius ſacramenti, redemptionem & vitam æternam vna cum ſanctificatione coniunctam: mera ſomnia refers, cùm redemptio annis iam mille quingentis præceſſerit, & vita æterna (quæ ventura adhuc ſperatur) nondum acceſſerit.

Caluinus. [Sed Chriſtum (inquis) intelligentia duntaxat ac imaginatione velim concipi.]

Refutatio. Eſt ergo materia, quàm proponis, imaginaria, non vera & realis: & tamen mox ſubiungis.

Iam

[Quòd vera eius communicatione fruamur.] Caluinus.
Iam tandem collige teipſum, & mentem tuam Refutatio
reſume, quæ longiſsimè à te abiit falſis ac fallaciſſimis deluſa imaginationibus. Addis & iſtud.

[Chriſtum verè nobis exhiberi, adeoq; corpus Caluinus.
& ſanguinem eius.]

Et id quidẽ reipſa fatemur: quod tu verbis pro- Refutatio
nuncians, facto negas. Immò & verbo etiã modò ais, modò negas, hoc ſubiungens.

[Neque tamen præſentia Chriſti in ſacramẽto Caluinus.
ſomnianda nobis eſt.]

Certè non ſomnianda, ſed verè cogitanda cor- Refutatio
poris Chriſti præſentia, cùm dicas.

[Verè nobis exhiberi corpus & ſanguinẽ eius.] Caluinus.

Quid enim aliud eſt, verè exhiberi, quàm eſſe Refutatio
præſentem? An nõ Chriſtus præſens erat, cùm ſe
diſcipulis exhiberet, dicens: Videte, quia ego ipſe Lucæ. 24.
ſum. Quomodo enim poterat exhiberi, niſi præ- Ioan. 20.
ſens adfuiſſet? Nunquam ergo poteſt eſſe vera exhibitio abſque rei exhibitæ præſentia. Tu verò ſycophanticè illud adiungis.

[Eccleſiæ proceres cõfinxiſſe præſens eſſe cor- Caluinus.
pus Chriſti, manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum.]

Cum tamen ſcias, etiam conſcientia tua teſte, Refutatio
catholicos illud perpetuo in ore habere, corpus Chriſti in Euchariſtia nec manibus, ſenſu præſertim corporeo, attrectari, nec dentibus lacerãdum Hiere. 3.
atteri. Et tamẽ frons meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere, cùm iſthæc ſycophantica impudentiſsimè euomeres.

Quòd autem, ne nihil fecisse videaris, ad aliud confutandum errorem te conuertis. [Dicentium

Caluinus. Christum corporaliter esse vbique.]

Refutatio Nihil moror. Et ita delirantium errorem, & vanissimum tuum in errore confutando ineptissimúmque laborem, sufficere tibi poterat (si apud te fuisses) hãc hæresim vnico Christi verbo confutasse, qui Ioãnis vndecimo ait. Gaudeo propter vos, quia nõ eram ibi. Quòd si verùm est, vt certè verum est: Christus non erat corporaliter vbique.

Tu verò quas dicis esse præstigias, veræ sunt sententiæ, tibi quidem inexplicabiles, tuíque similibus: omnibus tamen peruiæ sunt, qui synceros mentis oculos huc adferent. Id enim tibi contingit quòd cæco, requirenti vnam aliquã sibi ostendi imaginem, aliàs inficiaturum se vllos extare in toto orbe colores. Cui statim illud obiectum est: Quin potius mente & oculis excæcatissimè, profer oculos eos, quos oportet ad huiusmodi colores cernendos. Non enim ideo absunt, quia non vides: quin potiùs tam ipsius cæcitatem incusa. Hæc, mutato nomine, de te omni talpa cæcior Caluine fabula narratur.

Nunc ad cõuicia, cùm tibi ratio desit, tuo more prolaberis, more inquam muliercularum: quibus cùm cætera desint, magno eiulatu obuios quosq; probris scommatibúsque flagellant.

Caluinus. [Huius, ais, rationẽ mysterij sophistæ (dicere debueras, mei similes sycophãtæ, nempe Caluinates omnes) nec intelligũt, nec aliis explicare possũt.]

Refutatio Discere potius te oportuit & sub philosophorũ

ferula,

ferula, quam Dialecticuli & norunt & docent, Christi corporis in hoc venerabili sacramẽto posituram. Qua in re, cùm te videas implicitũ, solis conuiciis te extricare contendis. Dedisce igitur sycophantiam, vt fœlicius discas philosophiam: ex cuius penu prodiere dogmata, (quæ protulisse ais, quos vocas, curiæ Romanæ artifices.) Quos nihil pronunciasse intelligeres, (si esses doctrinæ capax) quod non prodierit ex sanctorum patrum officina, quod non sit syncerae Religionis incude percussum. Tu verò tuique Caluinates nihil proferre potestis, nisi quod fucatum sit & adulteratũ. Quemadmodũ enim de Marcione & Basilide ait Hieronymus. 1. quæst. 1. cap. Marciò & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes, non habent Dei Euangelium: quia nõ habent Spiritum sanctum, sine quo humanum Euangeliũ non docetur. Nec putemus in verbis scripturarũ esse Euangelium, sed in sensu: nõ in superficie, sed in medulla: non in sermonũ foliis, sed in radice rationis. Hæc ille.

Quin vbi semel Augustini sententiam (quæ tamen nihil pro re tua facit) secundum te stare contendis, ego decies à parte nostra loquentem tibi ostẽdam. Tu igitur aut Augustinum repudia, aut integrum sequere. Sed vno verbo te absoluens, impudenter mentiris (te non pauca habere veterum testimonia ad eum, cui mordicus hæres, tutandum errorem: sed ab his recensendis te velle supersedere testaris.) At id est quod maximè à te exigitur, vt teipsum munias sanctorũ authoritate, procerumque Ecclesiæ manifesta sententia.

Sed ingenuè tandem profiteris.

Caluinus. [Alios ab Auguſtino obſcuriores eſſe, quã vt ex eorum verbis tua confirmari ſententia poſsit.]

Refutatio Obſcuriores dicis, ſed tibi, tuíque ſimilibus: vt ſunt radij Solis noctuæ, quæ præ oculorum hębetudine, phœbeum viſu non ſuſtinet orbem. Ego contra, leui manu proferam priſcorum patrum ſentẽtias non paucas, & eas quidem illuſtriores, quàm vt quiſpiam (niſi qui ſit mentis inops) illas negare poſsit à parte ſtare catholicorum.

Ante omnia oppono elegantiſsimam, & apud omnes receptiſsimam, diui Chryſoſtomi Liturgiam: quàm niſi legiſti, turpiter deſipis. Si legiſti, vehementer inſanis, quòd te vnum audeas huic opponere torrẽti: cùm ſcriptum ſit. Noli reſiſtere vultui potentis, neque coneris contra ictum fulminis. Eundem tibi oppono pleríſq; in locis noſtræ ſententiæ fauentem: cũ tu nullum ex aduerſo (niſi fortè pſeudographè) proferas ſacræ ſcripturæ idoneum interpretem, vna contentus tui vertiginoſi capitis interpretatione: cùm minimè debuiſſes in hoc deſcendere certamen, niſi fido aliquo ac idoneo vno aut altero comitatus Achatæ. [Eccles. 4.]

Tu verò effugium quærens, vt es verſutiſsimus ſycophanta, ais.

Caluinus. [Te nihil morari veterum ſententias: quas pro ſcoria & quiſquiliis te habere citra omnem frõtis ruborem impudenter aſſeruiſti.]

Refutatio Si hæc ita ſe habent: cur ergo nũc tui dicti immemor, Auguſtini contemptam iampridem authoritatem nobis opponis? Dum pergis ita inſanire,

nire, vide ne ebrius eſſe dicaris: nec enim id faceret quis ſobrius vnquam.

Quo ergo tibi licere putas propriam ſentētiam tueri patrum decretis ac placitis, eodē mihi iure licebit non paucas proferre priſcorum patrū ſententias, non quidem mutilas, neque obiter concinnatas, verùm ex induſtria deſtinatáque intentione aſſertas & pronunciatas. Quod autē ſplendidius deſiderari poteſt teſtimonium, quàm illud Auguſtini in pſalmum tertium ac trigeſimum? Acceſſerunt Iudæi ad Chriſtum, vt crucifigerēt: nos ad eum accedamus, vt corpus eius accipiamus ac ſanguinem. Illi de crucifixo obtenebrati ſunt: nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur.

Vis & aliud? Ecce tibi promptiſsimum ex capitulo. Quotidie ex eodem fonte depromptum, de conſecratione diſtinct. ſecunda vbi Zachæus introducitur & Centurio: quorum alter gaudens Chriſtum Deum verum & hominem in propria domo ſuſcepit, alter verò eum ipſum Chriſtū redemptorem pia quadam modeſtia à ſe dimittere viſus eſt, nec alius eſt, quàm is qui in Euchariſtiæ cōmunione recipitur. Nec ab ea ſententia recedit idem Auguſt. ad Ianuariū, vt eſt in cap. Liquido.

Addo & illud eodem authore: Prāſis & cœnatis Apoſtolis Chriſtum dediſſe corpus ſuum: non quòd velles ita cæteris porrigi, ſed quòd hoc ipſum & alia pleráq; Apoſtolis tradenda reliquerit.

Sed quid apertius ea, quam in Ciuitate Dei vigeſimiſecundi cap. octauo idem ipſe recenſuit,

Ex eodem Chryſoſtomo ad Hebræos decimo: Nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. & vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna eſt, & non multæ? Et quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius. idipſum ſemper offerimus: nec nunc alium agnum, craſtina alium: ſed ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium. Alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus eſt, & non multa corpora: ita etiam & vnum ſacrificium.

Idem libro tertio de ſacerdotio: Dum conſpicis Dominum immolatum: ſacerdotem ſacrificio incumbẽtem, ac preces deſuper fundentem, tum verò turbam circunfuſam, precioſo illo ſanguine intingi ac rubefieri. En qui cum patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volentibus ipſum excipere, ac complecti. Hactenus Chryſoſtomus.

Nihil opus, vt reliquos, ſeu priores, ſeu recentiores ad huius rei teſtimonium præſtandum cõuocem: alioqui copia numerum excederet. Cætera committo induſtriæ apis argumentoſæ, quæ vndecunque ex floribus collectis & ambeſis dulcia mella legit. Tu verò quum ſis aranea virulenta: nihil mirum ſi in venenum omnia vertas. Ad-

dam

dam tamen in piorum gratiam, quæ ſequuntur, paucula ex Irenæo, Hieronymo, & Damaſceno. Sic habet ad verbum Irenæus aduerſus hæreſes, lib.4.cap.32.

Gratias egit dicens: Hoc eſt corpus: & calicem, qui ex ea creatura quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt: & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo. Hæc vir ille ſanctiſſimus, quid ab Apoſtolis hauſerit, ingenuè profitetur. Non minore fiducia huic ſententiæ, qui mox ſequuntur, ſuccinere minimè dubitarunt.

Hieronymus ad Damaſum de filio prodigo. Vitulus ſaginatus, qui ad pœnitentiæ immolatur ſalutem, ipſe ſaluator eſt, cuius quotidie carne paſcimur, cruore potamur. Fidelis mecum lector intelligis, quia pinguedine ſaturati, in ructũ laudis eius irrũpimus, dicentes: Eructauit cor meum Pſal. 44.
verbum bonum, dico ego opera mea regi.

Damaſcenus libro quarto, capite decimoquarto de ſanctis & incontaminatis CHRISTI myſteriis. Non eſt figura panis & vinum, corporis Nota.
& ſanguinis CHRISTI. abſit enim hoc: ſed eſt ipſum corpus domini deificatum, ipſo domino dicente: Hoc eſt corpus meum. non figura corporis, ſed corpus: & non figura ſanguinis, ſed ſanguis. Et ante hoc ipſis Iudæis dicebat Ioannis ſexto capite: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non habebitis vitam æternam. Caro mea verus eſt cibus, &

ſanguis meus verus eſt potus. Qui manducat me, ipſe viuet propter me.

In eodem: Chriſti corpus accommodatè dice-
Nota. tur. Nam ſpiritus viuificans eſt caro Domini, quia ex viuificante ſpiritu concepta eſt. Quod e-
Ioan.3. nim natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Hoc autem dico, non auferens corporis naturam, ſed viuificationem & diuinitatem eius oſtendere volens. Et ſi quidam exemplaria corporis & ſanguinis Domini panem & vinum vocauerunt, vt Deifer vocauit Baſilius: non tamen poſt ſanctificationem dixit, ſed priuſquam ſanctificaretur ipſa oblatio, ita vocabant. Hæc Damaſcenus.

A cæterorum citando teſtimonio prudens abſtineo: te (ſi dignus eſſes) probi lectoris nomine relegaturus in Appendicem pro cœna Dominica à nobis æditam. Nam & alios non infimæ claſſis authores huic parti noſtræ conſentientes non paucos citauimus: quos tamen (vti nuper didici) vnà mecum nec pro proletariis habēdos cenſes. Quin eos potius irrides & arrodis, pungis & vngis: rictúque canino potius, quàm riſu humano, inſectaris. Id tamen ſcias velim, tanti apud cordatos haberi, ſeu ſit ille Iſidorus, ſeu Speculator, ſeu quiuis alius ex tota claſſe minimus: quòd meritò indignus habearis, cui vel matellam porrigas, (ſit venia verbo, & pudor auribus) vel pedum lutum abſtergas, ſeu vitæ eorum nitorem & integritatem, ſeu morum compoſitionem, ſtudiorum vehementiam, multiphariæ lectionis copiam, rerum omnium experientiam,

virtutum

virtutum excellentiam, ſummámque in tot dotibus modeſtiam attendas. Quibus collatus, ſi te tuo pede metireris: hoc eſſes, quod vmbra lumini, quod larua humanæ faciei, quod Pygmæus Giganti, quod muſculus elephanti, quódque cœnoſa lacuna limpidiſsimo fonti, aut ſi quid his minimis minus cogitari poteſt. Immo nihil ſub ſole reperias, quod huic monſtro impuritate æquari poſsit. Quæ enim communicatio CHRISTI ad Belial? Lucis ad tenebras? Aut quæ portio fidelis catholici cum infideli Caluino? Rectiſsimè & appoſitiſsimè à Sapiente dictum legimus Eccleſiaſtici decimotertio: Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur. I nunc, & deinceps te intra tuam pelliculam contine, ne te turgeſcere incipiētem tua philautia rumpat. Ad cætera pergo, hoc vnum ex Sapientis oraculo dixiſſe contētus: Arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt ferre, q̃ hominem tui ſimillimum, nēpe imprudentem, fatuum & impium. Quis enim ferat, qui nec ſeipſum ſuſtinere, nec ſibi conſtare queat? 2.Cor.6. Eccli.22.

Iam venio ad pſeudographæ prolatam ex Auguſtino ſententiam.

[Ais enim te habere vnum Auguſtinum fideliſsimum interpretem.] Caluinus.

Qui ſi vnus eſſet, quomodo catholicus dici poſſet, qui diſſentiret à reliquis? Sed quid ait Auguſt. Refutatio

[Nempe Chriſtum aſcendiſſe ad cœlos in viſibili forma atque ſubſtantia. Cui qui immortalitatem dedit, naturam non abſtulit.] Caluinus.

Et quis hoc negat? cùm certissimè dicam⁹: Corpus Christi eiusdem esse naturæ & immortalitatis in sacramento, vti & in cœlo. Quod si non sit eiusdem posituræ, quid tum? An positura variet naturam? Nequaquam. Quid igitur promoueas in his Augustini verbis, non video. Nā quòd negas corpus Christi esse vbique: nos quoque idipsum ingenuè profitemur. Sed nec corpus esse desinit in sacramento, quàmuis illic sit, modo non corporaliter extenso. Immò si non esses prorsus stupidus & hebes, intelligeres corpus gloriosum

Nota. ita posse esse in loco, vti anima nostra est in toto corpore: tota scilicet in toto, simúlque in qualibet parte. Quid igitur miraris in Deo, quod dissimulare nequis in teipso? Sed nostra corpora non sic se habent. Fateor. Immò nec sic est Christus in cœlo. Nihil tamen obstat, quò minus ita se habere possint: quandoquidem vti volet spiritus, ita erit

Lucæ. 24. corpus. Sed ô insaniam stupidi hominis. Christus

Ioan. 20. cùm intraret ianuis clausis, quid aliud exercuit, quàm gloriosi corporis subtilitatis dotem? Fuit enim aliquando, vt duo corpora simul essent, nēpe corpus Christi & moles ostij. Fuit etiā aliquan-

Lucæ. 4. do, vt se faceret inuisibilem: vt cùm dicitur: Iesus

Ioan. 8. & 10. per medium illorum ibat, & quando abscondit se à Iudæis, & exiuit de templo: tūc enim nec palpari poterat, nec videri. Tu verò veluti omnium bipedum stupidissimus atque obtusissimus, dicere audes:

Caluinus. [Corpus Christi verū est, cùm palpari & videri potest, Aufer ista: iam verum corp⁹ esse desinet.]

Hîc

Hîc desidero in te sensum communem. Immò hę sunt dotes veri corporis gloriosi, vt cùm velit, modò visibilem se pręstet, modò inuisibilem. Ex hoc vno, pie lector, cætera huius deliri bruti potius, quàm hominis, nugamenta contemne: cùm omninò ignoret, aut quæ loquatur, aut de quib⁹ enũciet. Immò iam perspicuè vides, id quod aliis imputat, quàm vel stupidè erret, aut malitiosè mentiatur. Refutatio

At verò hoc deerat dicẽdum: [Christus debuit per omnia fratribus assimilari, debet igitur sua dimensione constare.] Hîc agnosce scurrilitatẽ hominis, quæ ad rem nõ pertinet. Paulus ibi agit de carne passibili, de passionibus mortalis corporis pro nobis liberè assumptis. Et iste bacchantis more huc illucq; dissiliens, trãsit ad positurã Christi in Eucharistiam. Quasi ita stupidè colligat [quòd oporteat nos habere eãdem posituram, quam & Christus habet in Eucharistia.] Siccine itur à thesauris ad carbones? Pari opera (vt simus per omnia Christo similes) nos oportebit triduò stare in sepulchro, simúlque secundum animam transire ad inferos, ac tertio demum die à mortuis resurgere. Sic rudere solẽt isti asini: vt cùm sibi omnia arrogẽt, nihil minus quàm vel sensus communis operam exhibeant. Sed sinamus hanc beluam toto oris hiatu blaterare, ad alia diuertentes. Caluinus. Hebre. 2. Refutatio Hebre. 2. Lucæ. 24.

Et tamen mirè sibi placet, [insaniæ arguens catholicos, qui dum astruũt idẽ corpus esse in duobus locis, nihil aliud asserant, quàm carnem non esse carnem, aut lucem simul esse, cum tenebris.] Caluinus. Refutatio

O impudentiam arrogantiſsimam, & arrogãtiã impudentiſſimam. Nemo prorſus tam hebes, modò ab ipſo limine philoſophiam ſalutauerit Chriſtianã, qui ignoret tam eſſe facile Deo corp⁹ (eadem manente natura, tametſi non eodem ſitu aut poſitura) ita cõſtitui in loco, veluti anima eſt in corpore: quæ eadẽ capiti adeſt & pedibus, dextræ quoque parti & ſiniſtræ. Et interim tamen ſumus illi inſani & peruicaces, qui hoc dicimus.

Nec pudet nobis opponere Auguſtinum, etiã à parte noſtra ſtantem, cùm ait.

Caluinus. [Non eſt hîc, ibi enim ſedet ad dextrã patris.]

Refutatio Et tamen eſt hîc, nẽpe in Euchariſtia, quia non receſſit præſentia maieſtatis. Eſt enim præſentia ſuę maieſtatis in Euchariſtia, quin & corporis & ſanguinis, ſed nõ modo viſibili. Ita enim fides tenet, quod oculus non videt.

Sed nec pudet crambem toties recoctam adponere menſis. Ait enim.

Caluinus. [Si panis ſeorſum à calice porrigitur, oportet igitur corpus in hoſtia (non enim dico pani vnitum) ſecerni à ſanguine.]

Refutatio Adeò non curat quid dicat, ſed tãtùm vt dicat: vt nullum teneat in battologia ſua modũ. Nos enim dicimus, & corpus cum ſanguine eſſe in calice, & cum carne ſanguinem eſſe in hoſtia, locis inter ſe diuerſis ac diſtantibus. Et tamẽ homo iſte (ſi homo dicendus eſt) cùm ſit ſtipiti aut trunco ſimilior, quàm homini ſcintillam rationis habenti dicere audet.

Caluinus. [Nulla tergiuerſatione elabi poſſe, quin à ſanguine

guine corpus ſit ſecernendum.]

Nos verò neque elabimur, nec tergiuerſamur: Refutatio
negamus tamẽ corpus ſecerni à ſanguine. Immò in vtróque dicimus carnem ſanguini,& ſanguinẽ carni coniunctum.

[Sed hoc(inquit)friuolum eſt,cum ſymbola di ſtincta ſint.] Caluinus.

Hoc ipſum vetula diceret,cùm nõ habeat quid Refutatio
in contrarium obiicere poſſit. Sic ſolent ridicula iſta capita auffugere,cùm nullo elabi poſsint effu gio. Iam cùm videat ſe omni argumentatione deſtitutũ,conuertitur ad parænesin:ita tamen,vt dicat nõ pudere fateri ſublimius arcanũ eſſe, quàm comprǽhendi vel enarrari queat.

[Experior autẽ(inquit)magis,quàm intelligã.] Caluinus.

Non audet,(ſcilicet)vetãte modeſtia,ſuas cun- Refutatio
ctis reuelare extaſes,quibꝰ experiri ſe ait, quæ nõ intelligit. Sed hæ laruæ neque diu,neq; multis im ponunt. Nemo tibi de te iſta loquenti crediturus eſt Caluine. Alios quæras, quibus tuos centones farcias. Scriptum eſt. Magna certè eſt multitudo Pſal.30.
dulcedinis tuæ Domine:ſed quã Dominus abſcõ dit timentibus ſe. Tu verò nec Deũ times, nec ho Lucæ.18.
mines reuereris,cor habens ſaxeũ:quod malè ha Eccle.3.
bebit in nouiſsimo,niſi aliam ſtatim indueris mẽ tem. Quò non intelligas, nihil opus eſt, vt iures. Quod experiaris,tibi nũquam credetur teſti, etiã centies iurato. Scriptum enim lego: In maleuolã animam non introibit ſapientia,neque habitabit Sap.1.
in corpore ſubdito peccatis. Ideóq; nemo tã delirꝰ erit,vt credat te cœlitùs vllã ſuſtinuiſſe extaticã

illuſtrationẽ. Sed ecce tibi aliã lector antilogiam.

Caluinus. [Nihil (inquit) dubito ſub ſymbolis panis ac vini corpus ac ſanguinem Chriſti in ſua cœna manducare ac bibere: nec dubito, quin & ipſe verè porrigat, & ego recipiam.]

Refutatio Mat. 26. Lucæ. 22. 1. cor. 11. Sed audi teipſum hæc dicentẽ Caluine. Si verè recipis carnem & ſanguinẽ, quomodo ergo abſunt caro & ſanguis? Quód ſi adſint, iã vicimus: niſi quòd panem abeſſe profitemur. Cedit enim vmbra luci, creatura creatori dicenti: Hoc quod vobis porrigo, verè, non ſymbolicè tantùm, eſt corpus meum. Nec allegoricè loquor, nam hoc ipſum eſt corp⁹ meum, quod pro vobis tradetur. Et hic eſt ſanguis me⁹, qui pro vobis effundetur. Si igitur verè recipis carnem, non ergo tantùm ſymbolicè, non ergo verè. Fatearis ergo vnà cum ſpecierum ſymbolo ipſiſsimam ſubeſſe veritatẽ. Si enim verè recipitur caro Chriſti, quomodo ipſa non aderit? Si abeſt, quomodo verè recipitur? Tuas verò hyperbolas & verborum inuolucra tibi habeto: nos verò ſimplici & aperta veritate contenti, id quod eſt, ſimpliciſsimè credimus & docemus. Noſtra nox obſcurum non habet, nec vllum antilogiæ inuolucrum: quin omnia potius in luce clareſcunt. Tu verò dum ambulas in tenebris, neſcis quo vadas. Et quoties pedem moues,

Ioan. 12. offendis ad eum ſcilicet lapidem, de quo ſcriptũ

Math. 21. eſt. Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem autem ceciderit lapis iſte, comminuet eum. Iam ergo tandem, Caluine, tuæ pertinacia finem imponito. Deſine ludere temerè.

Nitere

Nitere ſurgere de puluere: quo ſcilicet aſperſus, nihil aliud quàm oculorum cæcitatem tibi comparas. Mira enim eſt in te cæcitas, cùm ais.

[Iſti licet diſſimulent, (de catholicis intelligẽs) eum carnis ſuæ veritate ſpoliant.] Caluinus.

Nos verò toties repetitis vicibus, carnem verã, corpus verum, verúmque ſanguinem, in ipſa Euchariſtia citra omnem diſſimulationem ſtatuim⁹. Quæ cùm ita ſe habeant: Chriſtum in Euchariſtia veneranter adoramus, venerabiliter reſeruatũ colimus, diẽ huic venerationi deſignatũ cũ gratiarũ actione obſeruamus. Nec illi præfigimus tempus [quo ſtatim ab Euchariſtia (vt impudici tui canes dicere audent) mox recedat.] Refutatio

Memores verborũ Iudith viduę, quæ ait cap. 8. Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Nõ eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet: ſed poti⁹ qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem cõſtituiſtis ei. Habem⁹ verba pręſentiæ: tibi incumbit probatio verborum abſentiæ. Iudith. 8. Caluinus.

Tu verò impie mentiris, [qui negas Apoſtolos Chriſtum adoraſſe.] Quid enim aliud, quàm adorationis verba, pronũciabat diuus Thomas, cùm diceret: Dominus meus, & Deus meus? Refutatio Ioan. 20.

[Sed erant (inquit) diſcumbentes, non proſtrati, cùm acciperent & manducarent.] Caluinus. Refutatio

Eſto. An ideo non adorat, qui intimo mentis receſſu agnoſcit Deum ac creatorem ſuum hæc verba pronunciare: Hoc eſt corpus meum, & hoc intẽdit accipere, quod ipſe præſtare ſe profitetur? Math. 26. 1. cor. 11.

Quid enim mirum, si tum à prostratione abstinebunt, cùm Christus ipse sese ad eorum pedes prostrauerit? Hoc tantùm agebant, quod illis permittebatur, immò quod facere iubebantur. Libentissimè se prostrassent, quemadmodum & Petrus
Ioan. 13. obnixè pedes abstraxisset. Verùm necessitas obtemperandi illi incumbebat, cùm Christus iuberet: Si non lauero te, nō habebis partem mecum. Qua necessitate adactus Petrus, ait: Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput. Non igitur minus venerabantur mente, etiamsi discumberent corpore. Parendum enim erat iubenti, & forma tenenda quam ipse prȩscriberet. Quin & multa pro tempore egit, quæ in futurum seruanda minimè edixit. Quod ex eo apparet, quòd ma
1. Cor. 11. Matth. 26 tutino tempore cœnam Dominicam Ecclesia celebrat, quam scimus ad vesperam discipulis fuisse exhibitam. Humilitatis exemplum nobis exequendum relictum est, non item omnia quæ egit euestigiò sequenda: sed quædam credenda, admiranda quædam, nonnulla verò exequenda. Sic enim intelligendum est illud vulgatum. Omnis Christi actio, nostra est instructio: vt scilicet quædam veneremur, quædam verò operemur.

Pergit insanire vesanus, vt seipsum semper dementia vincat. Ait enim.

Caluinus. [Aiunt (de catholicis loquēs) corpus & animā & diuinitatē ita in vnū esse cōiuncta, vt iā diuelli non possint. Igitur illic adorandus est Christus.]

Refutatio. Ad id respondens sic ait:

Caluinus. [Primùm si sua illa, quam obtendunt, concomitantia

tantia ipſis negetut, quid facient? Nam(vt maximè abſurditatem augeant) ſi alterum ſeparetur ab altero, quis tamen ſanus & ſobrius corpus Christi. Chriſtum eſſe ſibi perſuadeat?]

Immò quis tam ebrius, vt neget pro eodem corpus accipi & Chriſtum? Aut quis vnquàm inficiari auſus eſt eodem verborum ſenſu hæc duo intelligi: Chriſtus in cruce paſſus eſt, & corpus Chriſti in cruce paſſum eſt? Et dum audim⁹, Hoc eſt corpus meum: quid aliud intelligimus, quàm Hic eſt Chriſtus, qui pro vobis tradetur? Aut quo modo intelligi poteſt, Chriſtũ ſine corpore fuiſſe crucifixum, aut corpus Chriſti ſine Chriſto? Quò abiit mens tua Caluine? Nunquam ne ad teipſum redibis? Nec minus impium eſt quod dicis. Refutatio

[Si concomitanda (de catholicis intelligens) ipſis negetur, quid facient?] Caluinus. Refutatio

Immò ſi tuipſe negaueris, quid facies, aut quid reſpõdebis ad iſtud. Quod ſemel aſſumpſit, nunquàm dimiſit? An aliquando futurum credis, vt diuinitas, corpus, & Chriſtus, abinuicem ſeparentur? An ne aliquando deſinet Chriſtus eſſe De⁹ & homo? Reſume aliquãdo oculos Caluine, quibus hãc tuã cæcitatã agnoſcere poſsis. Tu verò quid ais [nos deſtitui verbo Dei:] cùm quæ diximus, omnia ipſiſsimis ſcripturę fontibus neceſſaria cõſequentia eliciantur? Sed reliqua. Caluinus. Refutatio

De cultu (inquit (Euchariſtiæ nullum vſquàm verbum legitur. Nam quod Chriſtus dixit: Accipite, mãducate, bibite, huicq; mãdato paruiſſent: quo accipi ſacramentum nõ adorari iubet, &c.] Caluinus.

Vide quid dicas. Nunquàm ne adorabimus
Ioan.9. Christum, nisi conceptis verbis se iusserit adora-
Ioan.5. ri? Peccauítne cæcus & paralytic⁹, qui ad hæc verba. Ego sum, sine pluri pronunciata, statim prostratus adorauit Christum? Esto ergo non dixerit, Adorate me: an propterea non debeat adorari? Immò semper debetur adoratio, etiam si nunquàm imperetur. Id quod in Abraham, Moyse, reliquisque prophetis, & in ipsis etiam Apostolis perspicuum est. Thomas cùm diceret: Dominus meus, & Deus meus: an nō etiam adorabat Christum? Et tamen nihil tale habuit in mandatis ex verbis conceptis.

Caluinus. Bis autem mentiris, & erras, ac verè etiam blasphemas: [cum superstitiosum esse cultum ais, quando homines coram pane se prosternunt, vt Christum illic adorent.]

Refutatio Non enim prosternunt se coram pane: id quod mentiris impiè. Nec superstitiose, quin potius ve-
Caluinus. rè, piè, religiose, in Eucharistia Christum adorāt. Citas autem impudentissimo mendacio, quo tuū tegas errorē, Nicenū synodum [quà vetare dicis nos humiliter esse attētos ad proposita symbola.]

Refutatio Tu verò ne in mendacio deprehendaris, nullū ex ea synodo citas locū, vnde istud colligi posit. Quin potius canone.14.&.93.distinct.cap.Peruenit: vetatur ne diaconi presbyteris, verùm ediuerso potius presbyteri diaconis corpus Christi porrigant. Sed quomodo id fieret sine debita adorationis reuerentia? Immò sedere vetātur in medio presbyterorum diaconi: quantominus igitur in

susceptione

ſuſceptione Euchariſtiæ? Quid ergo reſtat, niſi vt proni & adorabundi genua flectant?

[Sed hoc præcipit (inquiens) ſynodus illa Nicena, vt ſtãtes ad orationem, vota reddamus Deo.] Caluinus.

Sed quid iſtud ad Euchariſtiæ ſuſceptionem? Refutatio An igitur ſemper ſtare debeamus? Nequaquam. Ait enim Paulus. In nomine domini Ieſu omne Philip. 2. genu flectatur. Quod ſi in nomine, quantò magis in præſentia? Vt ergo nec continuó aut bibẽdum eſt, aut edendum: ſed cibus potui, potus cibo admiſcetur, ſic ſtatio ac proſtratio alternis vicibus præſtandæ ſunt. Alternis cantemus, (vt ille ait) amant alterna Camœnæ.

Addit & hoc perſpicuũ ſuę impietatis ſymbolũ.

[Quid (inquit) eſt idololatria, ſi hoc nõ eſt dona pro datore ipſo colere?] Caluinus.

Quaſi id quiuis catholicus ignoret, idẽ eſſe datorẽ & donum, ſacerdotem & ſacrificiũ: de quo ſcriptũ eſt. Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cib⁹. Refutatio Sctũs thomas in hymno ſacroſanctę Euchariſtiæ.

Quod autem adiungit: [Datum eſſe ad manducandum & accipiendũ, non item ad adorandũ.] Caluinus.

Certè nihil opus erat præcepto de adoratione, Refutatio cùm omnibus conſtet Dei præſentiam, quoties ſe offert, eſſe adorandam. Cùm enim audimus: Ego ſum Chriſtus, quid opus eſt vlteriori mandato, vt adoretur? Satis eſt dixiſſe ſemel: Dominũ Deũ Deut. 6. & 10. tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Non expectarunt Matth. 4. illæ religioſæ fœminæ huiuſmodi mandatũ, cùm Chriſtus reſurgens diceret. Saluete, quin po Mat. 28. tius continuò proſtratæ, tenuerunt pedes eius. Nec tale quid expectauit Magdalena, cùm ſenſit

Vide quid dicas. Nunquàm ne adorabimus
Ioan.9. Christum, nisi conceptis verbis se iusserit adora-
Ioan.5. ri? Peccauítne cæcus & paralytic⁹, qui ad hæc verba. Ego sum, sine pluri pronunciata, statim prostratus adorauit Christum? Esto ergo non dixerit, Adorate me: an propterea non debeat adorari? Immò semper debetur adoratio, etiam si nunquàm imperetur. Id quod in Abraham, Moyse, reliquisque prophetis, & in ipsis etiam Apostolis perspicuum est. Thomas cùm diceret: Dominus meus, & Deus meus: an nō etiam adorabat Christum? Et tamen nihil tale habuit in mandatis ex verbis conceptis.

Caluinus. Bis autem mentiris, & erras, ac verè etiam blasphemas: [cum superstitiosum esse cultum ais, quando homines coram pane se prosternunt, vt Christum illic adorent.]

Refutatio Non enim prosternunt se coram pane: id quod mentiris impiè. Nec superstitiose, quin potius ve-
Caluinus. rè, piè, religiose, in Eucharistia Christum adorāt. Citas autem impudentissimo mendacio, quo tuū tegas errorē, Nicenū synodum [quà vetare dicis nos humiliter esse attētos ad proposita symbola.]

Refutatio Tu verò ne in mendacio deprehendaris, nullū ex ea synodo citas locū, vnde istud colligi possit. Quin potius canone.14.&.93.distinct.cap. Peruenit: vetatur ne diaconi presbyteris, verùm ediuerso potius presbyteri diaconis corpus Christi porrigant. Sed quomodo id fieret sine debita adorationis reuerentia? Immò sedere vetātur in medio presbyterorum diaconi: quantominus igitur in

susceptione

ſuſceptione Euchariſtiæ? Quid ergo reſtat, niſi vt proni & adorabundi genua flectant?

[Sed hoc præcipit (inquiens) ſynodus illa Nicena, vt ſtãtes ad orationem, vota reddamus Deo.] Caluinus.

Sed quid iſtud ad Euchariſtiæ ſuſceptionem? Refutatio An igitur ſemper ſtare debeamus? Nequaquam. Ait enim Paulus. In nomine domini Ieſu omne genu flectatur. Philip. 2. Quod ſi in nomine, quantò magis in præſentia? Vt ergo nec continuó aut bibẽdum eſt, aut edendum: ſed cibus potui, potus cibo admiſcetur, ſic ſtatio ac proſtratio alternis vicibus præſtandæ ſunt. Alternis cantemus, (vt ille ait) amant alterna Camœnæ.

Addit & hoc perſpicuũ ſuę impietatis ſymbolũ.

[Quid (inquit) eſt idololatria, ſi hoc nõ eſt dona pro datore ipſo colere?] Caluinus.

Quaſi id quiuis catholicus ignoret, idẽ eſſe datorẽ & donum, ſacerdotem & ſacrificiũ: de quo ſcriptũ eſt. Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cib⁹. Refutatio Sctũs thomas in hymno ſacroſanctę Euchariſtiæ.

Quod autem adiungit: [Datum eſſe ad manducandum & accipiendũ, non item ad adorandũ.] Caluinus.

Certè nihil opus erat præcepto de adoratione, cùm omnibus conſtet Dei præſentiam, quoties ſe offert, eſſe adorandam. Refutatio Cùm enim audimus: Ego ſum Chriſtus, quid opus eſt vlteriori mandato, vt adoretur? Satis eſt dixiſſe ſemel: Dominũ Deũ tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Deut. 6. & 10. Matth. 4. Non expectarunt illæ religioſæ fœminæ huiuſmodi mandatũ, cùm Chriſtus reſurgens diceret. Saluete, quin potius continuò proſtratæ, tenuerunt pedes eius. Mat. 28. Nec tale quid expectauit Magdalena, cùm ſenſit

Ioan.20. ex nomine ſe appellatam: ſed ſtatim verbo, totóque corporis amplexu, prona quem preſentem videbat, adorauit.

Illud nullatenus ferendum, quod ait:

Caluinus. [Quòd cùm hæc verba coniuncta ſint: Accipite, & mãducate, hoc eſt corpꝰ meũ: quòd niſi e veſtigiò accipiatur & manducetur, ſtatim deſinat eſſe corpus.]

Refutatio Ergo cùm dicitur: Hic eſt dominus Deus tuus, illũ adora: niſi ſubſequatur adoratio, deſinet eſſe Deus. Quis vnquàm phanaticus vt tam abſurdè colligat? Quaſi verò Chriſti preſentia pendeat ab ipſiꝰ hominis facultate. Hæc certè vel de ſomnio cogitare non ſani eſt hominis, neque id ſanus credat Oreſtes. Siue igitur ſumatur, ſiue non manducetur, non tamen id minus verũ erit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. Tu quis es, qui terminum præfigere poſſis veræ eius præſentiæ, quæ ſuis teſtatur verbis, veritas ipſa æterna, Hoc eſt corpꝰ meũ: vt niſi manducetur, confeſtim deſinat eſſe corpus? Sed hæc miſſa faciamus, nec micam quidem ſobrietatis referentia deliramenta: cùm certiſſima pietate conſtet, in hoc à priſca primæue religionis ætate ſacroſanctam Euchariſtiam reſeruari, vt ad ægrotos, quoties opus fuerit, deferatur. Quis dicat hunc ritum Eccleſiæ vetuſtiſſimum nihil aliud eſſe, quàm impoſturam? Minimè igitur deſerit Chriſtus ſacram Euchariſtiam, etiam in aliud tempus reſeruatam. Quod ſi ritum hunc cœlo probatum miraculorum illuſtratione oſtendero?

Id

Id quòd à nobis iam inchoatum eſt ex hiſtoria Auguſtini in Ciuitate Dei, libro & capite ſuperiùs citatis: vbi docet delata in domum Heſperij ſacra Euchariſtia, Lemurum Spirituúmque malignorum moleſtiam protinus euanuiſſe.

Quem deferendæ Euchariſtiæ ritum comprobat res geſta, ab Ambroſio enarrata in volumine de fratris exceſſu caput ſeptimum. Narrat ille minimè fluxæ fidei author, fratrem, cùm nauigaret, in graui periculo conſtitutum, ne expers Euchariſtiæ è vita decederet, hoſtiam ſacrã ab Euchariſtiæ miniſtris propoſciſſe, acceptam orario alligaſſe collo proprio inuoluendam. Cuius ope ſeſe in mare deiiciens, ſaluus & incolumis peruenit ad portum.

Quis neget numinis opem beato Exuperio Tholoſano perpetuo adſtitiſſe? De quo ſcribit Hieronymus ad Ruſticum: Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinẽ portat in vitro.

Hunc etiam morem cœlo probari diuus Gregorius docet de beato Benedicto, libro Dialogorum ſecundo: quòd cùm languor ingraueſceret, ſexta die à morbo cõcepto in oratorium delatus, exitum ſuum Euchariſtiæ ſacramento muniuit: erectiſque in cœlum manibus, inter media orationis verba ſpiritum efflauit. Quis hunc omnibus virtutum numeris abſolutum, re & nomenclatura Benedictum, dicere audeat malè periiſſe? Quòd quidem dicere habet, ſi ea res ſuperis ingrata fuiſſet. Plena ſunt omnia exemplis à viris

integerrimæ fidei recitatis tam priſcis quàm neotericis : quæ ex Petro Venerabili colligere promptum eſt : à quorum narratione prudẽs abſtineo, ſatis eſſe ratus eo loci pium relegare lectorem, de impiis id dixiſſe contentus : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Foris canes, adulteri & venefici. Non enim vltra euagari permittit ad quoduis effugium præda parata. Cuius non diſsimili opera retunditur delirium.

Caluinus. [Qui ab Euchariſtia Chriſtum adimit, niſi confeſtim cum pane & calice explicatio myſterij cõtinuo ſubſequatur, per id (vt videri vult) quod ſcriptum eſt : Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis : mortem Domini annunciabitis.]

Refutatio Ego verò non inficior Chriſtiani agonis fieri commemorationem. Quòd ſi quis neglexerit, nihilo tamen minus vera permanet aſſertio dicẽtis : Hoc eſt corpus meum. Non enim pendet diuina veritas ab homine, ſed homo potius à veri-
Matt. 24. tate. Cœlum & terra tranſibunt, verba autẽ mea
Exod. 20. non tranſibunt. Nam qui ait : Ego ſum dominus
Deute 5. Deus tuus, nõ habebis deos alienos coram me: an idcirco Deus eſſe deſinet, ſi quis per impietatem Deum coluerit alienum? Non igitur Chriſtus à nobis, ſed nos pendemus à Chriſto. Nec præſens eſſe deſinet, etiam ſi non cum gratiarum actione ſumatur. Niſi quis malit Paulum arguere menda-
1. Cor. 11. cij, dicentem : Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini : Qua vna ſentẽtia tota huius de-

liri

liri vesania corruit, qua ait.

[Cũ præcepto annexa sit promissio, dico hãc sub illo ita inclusam, vt separata omnino fiat nulla.] Caluinus.

Et vt impietas alia aliam pariat, eo vsque pergit insanire vt dicat, [Sacramenti pro ægrotis repositionem inutilem esse:] cùm nõ solùm ab ægrotis, immo verò ab indignè suscipientibus verè & realiter suscipiatur corpus Domini. Quæ omnia partim ex Paulo, partim ex prolatis aduersus errorẽ hunc miraculis, apertè refutata sunt. Neque enim desinit veritas data ob causam, causa etiam non sequuta. Deus nõ est alligatus homini, sed homo Deo. Sine pœnitẽtia enim sunt dicta & dona dei, etiã si quis ingratus abutatur eis. Quod & manifestè patet in Iuda, qui verè recepit sacramẽtum, quamuis indignè susceptum. Quod quidem indignè posse suscipi (tametsi verè) verba Pauli, quæ omni sunt exceptione maiora, abundè testantur. Refutatio Caluinus. Refutatio Roma.11. Lucæ. 22. Ioan. 13. 1.Cor.11.

Iam viribus exhaustus, nec aliud habens ad manum telum potentius conuicio, catholicos peruicaces appellat, omnium ipse bipedum peruicacissimus, vt tandem illa veritas Sapientis comprobetur: Vir insipiens ambulans in via, omnes sibi similes existimat. Est etiã (inquit) in ipsis Christi verbis, quo talis pertinacia reuincatur. Vbi enim Matthæus & Marcus referũt Dominum vocasse poculum suum sanguinem noui testamenti, pro eo Lucas & Paulus subiiciunt nouum testamentum in sanguine. Eccles.10.

[Clamet (inquit ille) quisquis fuerit, hoc esse corpus & sanguinem: ego contra contẽdam hoc Caluinus.

esse testamentum in carne & sanguine.

Atqui testamentum in sanguine, vult intelligi symbolicè.

Caluinus. [Sicut circuncisio dicitur fœdus, hoc est signũ
1.Cor.10. fœderis: Agnus dicitur esse trãsitus, hoc est egressionis symbolũ. Et petra Christus, eo quòd significet Christum.

Refutatio

Verùm dicat mihi os impudens (esto quòd legamus apud Paulum, Hoc est testamentũ in meo sanguine:) vbi vnquam legerit, aut legisse potuerit: Hoc est testamentum in mea carne? Nullus est hic locus allegoriæ, cùm dicitur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: quoniam omnẽ allegoriam excludit hæc adiectio: Hoc ipsum corpus quod pro vobis tradetur. Secus in aliis, Petra erat Christus: vbi præcedentia manifestam indicant allegoriam, & illud potissimum, quod Paulus ait: Hæc omnia in figuris contingebant illis.

Lucæ.22. 1. Cori.11. Matth.26

Hic autem in verbis in Lucæ & Pauli quis te docuit aliquam subesse figuram? Nam cùm verba Matthæi præcesserint nullo personata schemate, qua fronte audes assuere figuram aliquam subsequentibus Euangelistis, quàm omnem Matthæus prorsus excussit? Immò & ipse Lucas à carne figuram excutit, cum dicat: Fregit & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur? Non enim dicit, testamentũ in corpore meo. Sed audi Euthymium in Lucam: Quòd verò dicitur. Quòd pro vobis effunditur: ad poculum referendum est. Porrò poculum, est sanguis eius. Est (inquit) sanguis eius, non symbolum sanguinis

nis. Quin ex eodem Euthymio doceri poteras, quòd non dicatur teſtamentum figuratiuum ſanguinis: ſed potiùs dicitur, ſanguis meus, qui eſt noui teſtamenti. Siquidem (inquit ille) ſanguis Exodi. 12. figuratiui agni veteris erat teſtamenti, ſanguis autem veri agni eſt noui. Vides quòd hic exprimit ſanguinem veri agni, cùm dicitur: Hic eſt ſanguis meus, qui eſt noui Teſtamenti. Et ad hanc amuſſim omnia referenda ſunt. Quin & hoc ipſum probat ex Baſilio. Quanquam (inquit) magnus Baſilius exemplarius hæc eſſe dixit, hoc tamen eſt priuſquàm ſanctificentur, & gratiam accipiant. Vide quomodo è naturalibus ſupernaturalia fiāt, nimirum ex pane corpus, & ex vino ſanguis. Fiant (inquit,) non tantùm ſignificent. Iam vide quid poſsit tua veſania aduerſum huiuſmodi teſtimonia. Immo & in ipſis verbis Pauli ex veritate corporis colligere debueras ſanguinis veritatem, nō ſymbolum. Tu verò, vt es in omnibus præpoſtero ingenio, vis priora verba corrumpi à poſterioribus per figurā. Dicendum ergo eſt: Sicut hoc eſt corpus meum reipſa & veritate: ſic hoc nouū Teſtamētum eſt in meo ſanguine, ſiue per meum verum ſanguinem, quem quotieſcunque biberitis, hoc facite in meam cōmemorationem. Quòd & apertiſsimè Phociusdeclarat his verbis: Si Dominus non te dedignatus eſt, quin proprio ipſius corpori ac menſæ myſticæ communicares: quomodo tu conſeruū tuum dedignaris? Móxque ſequitur: Dominus ex æquo tibi ac pauperi mēſam proprij corporis & ſanguinis poculum tradit. Et

iterum: Si ille gratias agit, qui proprium diuidit traditque corpus, &c. Quin & illud ſubiungit: Per hoc autem quod frequenter ait, Corporis & ſanguinis Domini: manifeſtat quòd non ſit nudus homo, qui immolatur, ſed ipſe dominus & factor omnium, vt videlicet per hæc ipſos exterreat. His verbis quid apertius? Quid plura? Pro ſanguine (inquit) irrationalium, Dominus proprium dat ſanguinem. Quin & in ipſis verbis quę tua vafricie conaris eludere, ſic ait: Nouum teſtamentum eſt per meum ſanguinem, non irrationalium animalium: per meum, inquam, ſanguinem. Sed & Chryſoſtomus de vera carne intelligit, non de carnis ſymbolo tantùm. Erubeſce igitur omnium peruicaciſsimorum impudentiſsime, qui in Sole noctem, in perſpicua luce vmbram, in rei veritate typum, in flamma fumum, oculis noſtris obtrudere tentas. Tu alios tibi ſimiles quæras, quibus tui erroris tenebras offundas.

Hæc ſunt quæ hactenus haurire potui ex Lernæa illa Caluinica palude, Augiáque inexhauſta: quæ ad rem potiſsimum ſacroſanctæ Euchariſtiæ pertinere videbantur. Neque enim reliquas eius inſanias mihi videre licuit. Quas ſi reſciero (diuinam præfatus opem, vt iuxta eloquium ſuum ſua mihi clementia dignetur infundere intellectum) curabo pro virili virulenta huius deploratiſsimi apoſtatæ tela retundere.

QVANDO verò id cōpertum eſt, apud lucifugas huiuſmodi noctuas nullius eſſe momenti, ſeu

patrum

patrum placita, ſeu Eccleſiæ vniuerſalis decreta, ſeu catholicorum interpretamenta doctorum: ita duellum hoc adoriri deintegro libet, quaſi nihil cum illo egerim. Nam locis è ſcriptura decerptis nouo aduerſus illum prælio decertare apud me ſtatui. Nec vndecunque mendicatis, atque adeò ſuboſcuritatis latebris deliteſcentibus, ac retruſis ſententiis opus eſſe cenſeo ad catholicam hanc demonſtrandam veritatem: quin potius his vtemur authoritatibus, quæ omnibus ad manum eſſe ſolent.

Primùm igitur ſe offert vt celebratiſsimum, ita & inuictiſsimum Chriſti Ieſu de hac catholica veritate teſtimonium. Ait enim Euangeliſta: Accepit panem, & gratias agens fregit, deditque diſcipulis dicens: Hoc eſt corpus meum. Quid igitur accepit? vtique materialem panem. Verùm quid dedit diſcipulis? Hoc certè dedit, quod corpus ſuum eſſe dixit, illud ipſum, quod cruci affigendum erat. Aliud ergo accepit, aliud dedit: quo fit vt vnum in aliud verſum fateri oporteat. Panem igitur CHRISTVS accepit in manus, ſuum autem corpus dedit diſcipulis. Sequens inde eſt, vt dicamus panem illum verſum fuiſſe, atque tranſmutatum in corpus eius ſacratiſſimum. Id quod ſponſæ Chriſti Eccleſię ineluctabilis decreuit authoritas. Nam iſtud pronomen, hoc, & ſignificatione & numero ſingulare eſt. Non igitur plura, ſed vnum tantùm demonſtrare poteſt, vel ex ſola ſui ſignificatus ratione, de quo verum ſit dicere: quòd ſit corpus CHRISTI verum, ac pro gene-

Matt. 26.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

tis humani eluendis peccatis, morti paulò mox tradendum. Hoc certè pani materiali nullatenus conuenire poteſt, ſed ſoli corpori Chriſti. Hæc autem verſio vel hinc apertiſſimè colligitur his verbis: Dedit diſcipulis ſuis dicens, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Idem autem eſt apud Deum, & dicere & facere. Nam ipſe di-
Pſal.148. xit,& facta ſunt:mandauit, & creata ſunt. Quid
Geneſ. 1. enim aliud in Deo reperies, quum ait:Fiat lux, & facta eſt lux: quàm ipſam operis executionem, apud quem facta pro verbis intelligenda ſunt? Quod ergo dixit: Hoc eſt corpus meum, hoc effecit. Nihil enim feciſſet, niſi panem vertiſſet in
Ioan. 2. proprium corpus. vt ſi de aqua in vinum verſa dicere voluiſſet: Hoc eſt vinum quod vobis bibendum proponitur. Hic igitur eſt dictionis effectus eius, apud quem idem eſt facere, quod & dicere. Siquidem res vnica demonſtratur, & vnicè ſumenda proponitur. hoc enim deſignat vis ſignificatiua pronominis, quod & numero & ſignificatione ſingulare eſt.

Item ſicut verè panis materialis erat id quod Euāgeliſta dixit panem eſſe, dum ait: Accepit panem: nec erat aliud quàm panis frumētaceus. Ita quoque illud verè dicendum: Eſt corpus Chriſti, & nihil aliud quàm corpus Chriſti, id quod Chriſtus ſingulariter dixit eſſe corpus ſuum. Hinc ergo indubiè ſequitur: quòd quemadmodum acceptum ab initio panis erat, non corpus: ita poſtremò oblatum, ab Apoſtolis recipiendum, nihil aliud erat quàm corpus Chriſti. De ſubſtantia lo-
quor.

quor. Accidẽtia enim pro nihilo habentur. Nam ita ſe habent ad ſubſtãtiam, vt vmbra ad corpus, vt imago ad ſpeculum. Hæc ſi quis apud ſe probè concoxerit, ac maturè conſiderauerit: puto inueniet, vnde exercere poſsit propriam fidem & debitam eccleſiaſtico dogmati reuerentiam.

Sed & ex his quæ dicta ſunt: certius certiſsimo conſtat, non corporis Chriſti ſymbolum, ſed veram ipſiſsimámque præſentiam declarari. Quòd ſi hic quis figuram admittat, aut ſymbolum in his verbis, omnium nubem ſymbolorum apertiſsimè fugantibus, eadem opera dicturus eſt, Chriſtum ſymbolicè paſſum fuiſſe, mortuum, ſepultũ, à mortuiſque rediuiuum ſurrexiſſe: figuratiuè tãtùm cœlorum aſcendiſſe conuexa: Demum nihil reipſa accidiſſe, ſed nobis omnia in figura contigiſſe, quum tamen Paulus dicat: Omnia in figura contingebãt illis. 1.Cor.10. Illis inquit, non nobis. Illi enim vmbram tantùm, nos verò lucem tenemus. Illi figuram, nos rem ipſam Chriſto authore amplectimur. At ſi ſymbolicè tantùm intelligenda ſunt hæc verba, Hoc eſt corpus meum: quid amplius erit veritatis in Euchariſtia, quàm olim fuerat in agno paſchali, in mẽna de cœlo delapſo, niſi hic rem ipſam ſubeſſe dicamus, ibi autem tantùm ſimulachrum & figuram? Adde quòd ſanguis agni Exod.12. in Exodo & teſtamẽtum vocatur, & ſignum: hic autem verè ſanguis dicitur, non ſignum verum.

Supereſt vt palàm oſtendatur poſt verba Chriſti, nec panis nec vini adeſſe præſentiam. Igitur occurrit excutiendum, quod in Matthæo vigeſi-

moſexto capite legitur: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cùm bibam illud vobiſcum nouum. Fateor enim, quòd nouo modo ſumendum erat hoc Euchariſtiæ ſacramentum, & à nouo homine, vtpote immortali facto. Verùm plus eſt quod hic dicitur. Non enim ſolùm hic intelligitur modi in ſumendo nouitas, immo & rei ipſius quæ ſumitur. Nec ſolùm ait: Ego nouus bibam, aut nouum modum bibendi docebo: ſed dicit, Illud nouũ. Quod enim nũc bibitis, ſanguis eſt mortalis hominis, ac cõfeſtim morituri: tunc autem in regno patris ſtatim à reſurrectione, hoc eſt, in ſtatu immortalitatis, vos mecum & ego vobiſcum bibam hoc poculum. Hoc inquàm ipſum, quod nunc vnà mecum bibitis: tunc autem nouum erit poculum, nempe ſanguis hominis, qui propediem futurus ſit immortalis in regno patris, id eſt, in ſtatu immortalitatis. Vbi autem calicem legimus, Græca æditio ποτήριον toto iſto diſcurſu reponit, quod appoſitiſſimè poculum ſignificat. id quod veritati huic demonſtrandę non parum momenti adfert. Nũc autem ſi vinum materiale his verbis intelligi dicas, illud nunquam bibetur iam ſemel conſumptum & hauſtum, ſed aliud nulla ratione nouum appellãdum. Quomodo ergo ſaluabitur ſcriptura, quæ dicit: Bibam illud ipſum poculum vobiſcum nouum? Iam ſi natura vini adeſſet: nõ iſtud, ſed aliud poculum protinus appellandum foret. Nec hic te remoretur ſpecierum accidentiúmve præſentia. Accidens enim nullatenus poculi rationem

Nota.

tionem

tionem meretur : quod quidem neque ſubſtantia eſt, neque pars ſubſtantiæ. Iam igitur cernere eſt, idque liquidò & perſpicuè, horum verborum ſacroſanctam maieſtatem affabrè cum veritate Chriſtiana, atq; adeò eccleſiaſtico dogmate quadrare: nec vllam aut ſymbolicæ hæreſeos, aut eorum qui panem materialem cum corpore adiungunt, ſententiam vllatenus admittere.

Adiungemus & iſtud: Accipite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur Hic panis materialis non datur pro vobis. Quod igitur accipiendũ vobis præbeo, non eſt panis materialis. Quòd ſi panis materialis adeſſet: vobis tantùm daretur, non pro vobis. Sed neque panis materialis daretur in remiſſioné peccatorum. Nec hæreticis ſuffragari poteſt Pelicani impoſtura ſuum errorem quadam ſimilitudine tegentis. Ait enim in Exodum capite 12. hæc verba, Hic eſt calix ſanguinis, &c. ita eſſe accipienda, vt ea quæ olim Hebræis dicta fuerant: Hæc victima, tranſitus Domini eſt. Nam non ſolùm & præcedentia & ſequentia, ſed & res ipſa nihil aliud quàm ſignum demonſtrat in his quæ à Moyſe prolata ſunt verbis. Hic autem, quę continuò ſequuntur, verba demonſtrãt, non ſymbolum aliquod aut figuram, ſed rem ipſam debere intelligi. Neque enim fieri poteſt, vt ſignum effundatur in remiſsionem peccatorum, ſed res ipſa. Valeat igitur Pelicani Pentateuchi interpretis (viri alioqui eruditi) ridicula impoſtura: qui ait verba ſacramẽtalia intelligẽda eſſe teſtamentaliter, (vt ſuis ipſius verbis vtar) ſacramẽta-

Lucæ 22.
Nota.

liter, figuratiuè tantùm, & ſymbolicè.

Adiungit & iſtud: Verba tranſſubſtantiationis à Pariſienſi Academia recenter inuenta. Sed hæc quid ad rhombum? Quid enim refert in verbo, homouſion, quando inuentum fuerit, modò res ipſa habeatur ex ſcriptura? Atqui de re ipſa, non de verbis, contendendum eſt: vti pulchrè his verbis declarat, & luculẽter oſtendit Fulgentius aduerſus Arrianos. Hanc, inquit, patres noſtri per omnia CHRISTI ſectati doctrinam, vnius eſſe ſubſtantiæ patrem filiúmque dixerunt: quod Græcè Homouſion dictum eſt: illa ſcilicet ratione: quoniam in Græcia, noua tunc emerſerat hęreſis, quæ vnigenitum ſeparare nitebatur à ſubſtantia genitoris: ad hoc, vt quiſquis illam doctrinam reciperet, non creatoris cultor, ſed creaturę potius appareret. Mirum autem eſt, quòd in hoc nomine ſonus tantùm à quibuſdam attenditur, nec dicti intelligẽtia veſtigatur, cùm pleraque non ſint antiquitus dicta, & pro temporum cauſarúmque opportunitatibus profeſsioni fidei reperiuntur inſerta. Sicut ingenitus pater, nuſquam in ſcripturis canonicis legitur: & tamen ſecũdum fidei veritatẽ ingenitus prædicatur: aduerſus Sabellium ſcilicet, qui patrem filiúmque, non communione ſubſtantiæ vnum intelligit, ſed perſonali ſingularitate confundit. Quòd ſi ſonus, non ſenſus, conſideratur in verbis, non cenſeatur Eccleſia nomine catholico, quod nec in veteri, nec in nouo reperitur poſitum teſtamento: ſi verò hæc omnia, cùm in nullo ſint canonico volumine, dignè ta-

men

men tenentur in fide: quur nobis in Homousion putetur prohibendũ, non sonum dicti considerare, sed sensum? nec attẽdere nouitatem verbi, sed virtutem intelligere sacramenti. Hactenus Fulgentius.

At verò rem ipsam, hoc est, panis versionem in corpus Domini, docuimus ab ipsius Ecclesiæ exordio fuisse pronunciatam: ac veré in ipsius sacrę scripturæ medullis ab ipsa verborum pronunciatione retrusam fuisse atque reconditam. Iam nihil mirum, si vt Homousion olim longo tempore post rem ipsam, quæ ab æterno fuerat, in linguas venerit hominum: sic & transsubstantiationis vocabulum, designato à diuina prouidentia momento, prodierit in lucem. Nam spiritus & vbi & quando vult, spirat. Et Psalmista illud de se asseuerare non dissimulauit, dicẽs: Super omnes Psal. 118.
docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est: super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Nam qui verbo transsubstantiationis vsi sunt: vita, conditione, fulgore miraculorum, Ecclesiæ & vniuerso orbi illustrissimi. Immò & approbatione lõgè superiores sunt his nouellis hæreticorum dogmatum satoribus: qui omnino nihil habent, in quo aliorum authoritati sese opponere possint. Vt enim sæpenumero, neq; id superuacuè, repetij: A fructibus eorum cogno- Matth. 7.
scetis eos.

Hæc hactenus protulimus, ad explodendum penitus huius impietatis errorem: quo hæreticis liberum esse videtur, atque omnino innoxium, in

dubio relinquere, an panis viniq; substantia huic supersint sacramēto, an non. Qua de re citra piaculum dubitari non potest: cùm huic quæstioni iampridem Ecclesiæ vniuersalis authoritas, suis decretis extremam manum imposuerit, ansamq; omnem abstulerit, super ea re mouendi quæstionem.

CESSARENT, sat scio, (si non peccata nostra præpedirent) pestilentissimæ istæ peruicacium hæreticorum vitilitigationes, dissidiáque perniciosissima, & interminabiles logomachiæ: si ad lapidem Lydium & in statuendis dogmatibus scopum vnicum sua accommodare non dedignarentur ingenia hæreseωn satores & fautores. Tunc enim in portu nauigaremus omnes: tunc pace frueremur opulenta. Hæc enim est amussis vnica, si quando inter portas audimus sententias hominum variare. Primùm, vt hauriamus fidelem dogmatum sententiam, si id fieri queat, ex perspicuo sacrę scripturæ intellectu. Qua in re si scrupus occurrat, ex præcedentibus & sequentibus, aut aliâs similibus aut dissimilibus verbis ex tota area scripturæ passim collectis, stabiliri oportet dogma catholicum. Quæ duo si minus suppetant, sacra hæc anchora esto: vt sequi debeant omnes intelligentiam catholicorum patrum communi consensu, incipiendo à nouissimis vsque ad primos, syncerè ac diligenter collectam.

Hoc autem pharmacum auersantur hæretici, quin & oderunt cane peius & angue. Quo tamen

men iure, quáue iniuria id faciant, in catholicorum gratiam depromere libet aliquot patrum testimonia, quæ vel primo intellecta ſono, ſuam ſecum perſuaſionem adferunt. Sunt enim veluti effata & axiomata quædam, vt quæ nemo inficiari poſsit vel ſemel audita.

Diuus Maxentius in ſuo fidei libello ſic habet: Primò quidem catholicam fidem, augmentum aliquod poſſe recipere, improbum eſt credere. quia cùm ſit perfecta & plena in omnibus, augmentum recipere non poteſt. Hoc enim ſine dubio augmentum recipit, quod eſt imperfectum. Si autem non de intelligentia fidei, ſed de verbis agitur, hoc non eſt ſemper contrarium: quia aliquando explanationem fidei verborum facit adiectio: aliquando corruptionem, quod non augmentum, ſed detrimentum eſt potius fidei. Quapropter tunc adiectio verborum vitanda eſt, quãdo non explanationem, ſed corruptionem aut cõtrarietatẽ fidei operatur. Quòd ſi omnis adiectio verborum catholicæ fidei noxia creditur: cur beatus Cyrillus ad deſtruendam Neſtorij impiam interpretationem ſancti Symboli in concilio Epheſino tam multas ſanctorum patrũ ſententias proferens, nullum reprehenſionis dignum recipere augmentum creditur? Quòd ſi ideo augmentum recipere non creditur: quia nõ in ipſo ſancti Symboli mathemate ipſas ſanctorum patrum ſententias inſeruit, ſed eas extrinſecus proferens ſyncerißimum ſenſum eiuſdem ſancti Symboli reddidit manifeſtum. Et paulò mox ſequitur: Nemo

enim rectè reprehēditur retractare ſynodum, niſi qui de ipſius ſtatutis iudicans, non pro ipſa, ſed contra ipſam patrum proferre tentat ſentētias: ſicut hæretici faciunt. Qui autē non contra ipſam, ſed pro ipſa patrum ſententias proferunt: defenſores ſunt, non retractatores cōcilij. Fruſtrà ergo omnino nos ſynodum retractare arguunt, quos vident non cōtra ipſam, ſed pro ipſa patrum proferre ſententias. Quia ſynodus alterā fidem aut mathema præter ſanctorū patrū tradere his, qui ad catholicam fidem confugiunt, prohibuit: non autem hæreticorum prauitati, aut eis qui ſenſum eius moliūtur corrūpere, rationabilibus documētis vetuit obuiare. Vnde ſuperfluū eſt etiam illud, quod nobis obiicitur: Quia quod ſynodus non dicit, nullatenus dici debere. Quia multa ſūt quę non dicūtur à ſynodo, nec in vlla ſcriptura canonica: & tamē cū ratio poſtulauerit, ea nullatenus proferre ambigimus. ſicut eſt Trinitas: aut cū de patre dicimus, quia ingenitus eſt, & alia plura. Nec enim in rebus conſiderādum eſt (ſicut dicit beatiſsimus Auguſtinus) quid vel ſinat, vel non ſinat, dici vſus ſermonis noſtri: ſed quis rerū ipſarum intellectus eluceat. Hactenus D. Maxentius.

Et id quidem multo ante eum tempore prædixerat Athanaſius, diſſerens aduerſus Arriū. Obiiciebat Arrius: Reſpice ſcripturā, & vide an Homouſij nomen reperias. Quòd ſi nec nomen attigit, ergo nec vti debes.

Telum hoc retundens Athanaſius, reſpondit: Qui prius diſcipuli in ſcriptura dicti fuerant, ſubinde

ſubinde neceſſitate cogente vocati ſunt Chriſtiani, quod nomen nuſquam in ſcriptura reperitur. Virgo benedicta ſemper erat Theotocos, poſt multa ſubinde tempora hoc nomine illuſtrata. Sequitur ex Athanaſio: Hanc ab apoſtolis traditam formam intelligimus, vt cōtra nouas hæreſes, nouas (prout ratio dictabat) æderent vocabulorum nouitates. Sic enim pater appellatus eſt ingenitus contra Sabellium. Iure igitur Eccleſia ad hæreſes coërcendas noua imponit nomina: modò res ipſa ex ſcriptura ſeſe præſentem offerat. Contentioſum igitur eſt quærere verbi expreſſionem: vbi ſcias aut ſcire debeas, nullam de re ipſa eſſe contentionem. Hactenus ex Athanaſio. Senſum, non verba, repoſuimus.

Radix omnium malorum hinc procedit, quòd cùm multę fuerint in vniuerſo orbe religiones Iudæorum & Chriſtianorum, vnaquæque diſcretis ſententiarum diuerſitatibus ſeipſam proſcindēs, in varias priuatæ inſtitutionis ſectas diuiſa eſt: dū pars vna & altera ſuauitate recentioris ſententiæ allecta, non tam veritatem, quàm veritatis ſimilitudinem ſequuta, antiquitùs à patribus traditam, lineam dereliquit. Sicq́ue per auia prauè aberrās, vetuſtatem nouitate commutauit, terminos à patribus conſtitutos tranſcendens. Huiuſmodi temeritas, dum pluſquàm oportet ſapit, & minus credit & obedit: ideo recta & media, quæ tutiſſima eſt, via incedere neſcit.

Hæc cùm ſtatim intelligantur audita, mirum quanta ſurditate laborent hæretici huius ætatis

peruicacissimi: qui suo ipsorum iudicio condemnati, semper malè currere mallunt, quàm aliquando vel serò saltem resipicere. Quorum qui splendidiùs refutare volet insaniam, Vincentium Lirinensem Gallum legat, Pauli Apostoli ad Timothæum.6.verba interpretantem: & abundè colliget, vnde ecclesiæ placitũ aduersus hæreticos defendere possit.

Hæc post omnia sacra catholicorum anchora, hic murus aheneus esto, solidáque & ineluctabilis machina: quòd cùm sub Missæ nomine multa comprehendantur, nempe sacrificium, oblatio tã pro viuis quàm pro defunctis, consecratio, communio, diuorum apud Deum intercessio, & eorũ commemoratio: quorum omnium meminerunt apostoli viri, continua etiam ab Apostolis traditione, ea certa fide esse tenenda omnibus catholicis incunctãter censendũ est. Restat igitur (quod vnum instar esse debet omnium) citare locos, eorum quæ dicimus memoriam facientes, ad conuincendam vanitatis apertissimæ Caluinatiũ imposturam, identidem repetentium missæ & rẽ & nomen esse neotericum, & (vt sic dicam) hesternum inuentum.

Plurimúmque illud occurrit ex diui Clementis epistola ad Iacobum fratrem domini: Communio domini nostri Iesu Christi, si negligenter erogetur, presbyter anathemate, feriatur.

Hinc syncronus Egnatius Romanis scibens sic ait: Non delector pane corporali, sed panem Dei volo eius, qui ex genere Dauid.

Cuius

Cuius eſt ad manum ſententia diui Dionyſij Eccleſiaſticæ hierarchiæ tertio capite.

Celebratur conſecratio Euchariſtiæ,& ſacrifi cij, nomẽ verbis quidẽ præſcriptis ab Anacleto, qui clementi proximus fuit. Sic enim ait. Sacerdo tes quando domino ſacrificant,non ſoli hoc agere debẽt. Epiſcopus Deo ſacrificans plures quàm ſacerdos teſtes habeat,cum quo peracta cõſecratione omnes miniſtri cõmunicẽt: qui noluerint, eccleſiaſticis carere liminib⁹. Sic Apoſtoli ſtatuerũt,& ſancta Romana tenet eccleſia. Hęc ille. Vides ab apoſtolis iſta emanaſſe,ſacrificium, conſecrationem, communicationem Euchariſtiæ, & excommunicationis vſum.

Alexander quintus à Petro ſic habet:in ſacrificio Miſſarũ,panis tantùm & vinũ aqua permixtũ offeratur. Ibi nomen exprimitur & Miſſę & ſacrificij. Ex monumentis Pij papæ primi,& inter põtifices noni à Petro,pœnitẽtia eius colligitur,qui aliquid de ſanguine Chriſti diſtillare permiſerit. Ecce tibi ſanguinis Chriſti cõſecrationẽ.

Sother Papa vndecimus à Petro,Miſſę nomen exprimit ſcribens ad epiſcopos Italiæ his verbis. Nullus poſt cibum potumq́; ſiue quodlibet minimum ſumptum, Miſſas facere audeat. Qui contrà egerit,excõmunicationis ſententiã ſuſtinebit. Idẽ ait. Nullus preſbyterorum Miſſarum ſolennia celebrare præſumat,niſi duobus præſentibus,quib⁹ dici poſſit· Dominus vobiſcum. Ecce Miſſæ apertam mentionem. De aſſiſtentium numero limitatio eſt penes Eccleſiam. Idem meminit Euchari-

ſtiæ in cœna Domini percipiendæ.

Apertiſſime Euchariſtiæ myſterium declarauit Pontianus decimus à Petro & ſeptim9, dicens: Sacerdotes proprio ore corpus Dñi cõficere, & populis tradere. Floruit ſub Maximino Imperatore.

Ter in anno communicare fideles Fabianus Papa & martyr inſtituit, in Paſchate, Pentecoſte, & Natalicio dominico. Idem oblationes ſatisfactorias pro pœna peccatorum non obſcurè declarauit, dicens: Diebus dominicis oblatio fiat à viris & mulieribus, vt per has immolationes à peccatorum ſuorum faſcibus liberentur. Nominatímque Miſſæ meminit, dum ait: Preſbyter illiteratus Miſſam celebrare non audeat.

Meminit Euchariſtiæ Cornelius Papa, dũ ait: Non cõuenire vt antiſtes diaboli (de hæretico loquens) audeat Euchariſtiam facere.

Stephanus Papa conſecrari voluit & veſtimenta & vaſa, quæ Miſſæ officio ſubſeruiunt.

Nota. Memoriam martyrum Felix Papa poſteritati tradidit, iubẽs ſupra memorias ac ſepulchra martyrum Miſſas celebrari. Memorias vocat loca inſigni aliquo miraculo illuſtrata. Fuit hic à Petro

Nota. vigeſimusquintus.

Funebria martyrum cum hymnis celebranda Marcellinus docuit.

Referam & hîc concilij Niceni verba canone. 14. Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit: vt qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant. Ecce oblationem corporis Chriſti.

Habes

Habes ergo vſque ad tempora Silueſtri ſtatim ab Apoſtolis, & à Silueſtro deinceps, ſpecialem Miſſæ & ſacrificij mentionem.

De oblationibus autem pro defunctis, certiſſimum profert Tertullianus ſui temporis vſum in Corona militis: Euchariſtiæ ſacramẽtum & in tẽpore victus, & omnibus mandatũ à domino etiã antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facim⁹. Idem in Monogamia: Perſeueret in illo neceſſe eſt, quem iam repudiare non poterit: & pro anima eius oret, & refrigerium interim poſtulet ei, & in prima reſurrectione cõſortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Hîc nolim probare ſentẽtiã Tertulliani de monogamia. Tantùm refero vſum illius ætatis in oblationib⁹ pro mortuis. Idẽ in Exhortatione ad caſtitatem meminit oblationũ pro defunctis, quæ per ſacerdotem fiunt.

Nec omiſerim de cultu ſanctorum Gangrenſis concilij traditionem ante annos abhinc plus mille ducẽtos, ſub annum videlicet domini. 324. Si quis ſuperbiæ vſus affectu conuentus abominatur, qui ad confeſſiones martyrum celebrãtur, & miniſteria quæ in eis fiunt ſimul cum eorum memoriis execratur: ànathema ſit.

Ex concilio Carthaginenſi: Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet.

Marcus verò pontifex, qui tempore Athanaſij floruit, Miſſæ miniſteriũ auxit recitatione ſymboli Niceni.

Longum foret recenſere nubem immenſam teſtium, qui pro toto Miſſæ illuſtrando myſterio piè ac religiosè ſcripſerunt. Plurimus eſt in ea re, de qua agitur, corroboranda diuus Cyprianus: cuius iſtud eſt ex ſecundi libri Epiſtola tertia. Quia paſsionis Chriſti mentionem in ſacrificiis omnibus facimus: (Paſsio eſt enim domini ſacrificium, quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus.

Idem apertè ſentit Dameſcenus libro quarto capite 14. Non eſt typus panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed eſt corpus domini deificatum, ipſo dicente: Hoc meum eſt, non typus corporis, ſed corpus: non typus ſanguinis, ſed ſanguis.

Perſpicua eſt Chryſoſtomi ſentētia in ſecundæ ad Timothæum, Homilia ſecunda. Sacra (inquit ille) ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue illam Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos, offerat: eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamque ſacerdotes modo quoque cōficiunt. Nihil habet iſta quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ ſacerdotes nunc quoque pronunciant: ita & oblatio eadem eſt. Et hoc igitur Chriſti corpus, & illud eſt. Qui autem hoc illo minus aliquid habere putat: ignorat Chriſtum eſſe, qui nunc etiam adeſt, atque operatur.

Hieronymus cùm aliis pluribus in locis, tum verò

verò aduersus Iouinianum veritatem hanc aperit libro primo capite quarto. Si per coitum (inquit) quod minus est impeditur, id est orare: quanto plus quod maius est, id est corpus Christi, prohibetur accipere? Capite item 44 Vna est mysteriis sanctificatio domini & serui: quanquàm pro accipientium meritis diuersum fiat, quod vnum est.

Videatur & Chrysostomus libro tertio capite quarto. Videatur & Theophylactus exponens illud: Calix cui benedicimus. Videatur & Irenæus libro quarto capite 34. 1.Cori.10.

Consentit Cyrillus in Ephesino concilio sic inquiẽs: Ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis & preciosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptionis effecti: non vt communem carnem percipientes, (quod absit) neque vt viri sanctificati, & verbo coniuncti, secundum dignitatis vnitatem, aut diuinam possidentis habitationem, sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus existens, quia propriæ carni vnitus est. Qui & ipse in verbũ Lucæ: Luc.22.
Hoc est corpus meum, sic ait: Nõ dubites an hoc verùm sit, sed potiùs suscipe verba saluatoris in fide. Cùm enim sit veritas, non mentitur.

Audiatur Ambrosius libro quarto de sacramẽtis quarto & quinto capitibus.

Audiatur & Augustinus super Lucam sermone vigesimo octauo.

Item & Cyprianus in sermone cœnæ domini.

Beda in lib. de mysteriis sic ait: Ibi forma panis

videtur, vbi panis ſubſtantia non eſt. Nec eſt ibi alius panis, quàm panis qui de cœlo deſcendit.

Nota eſt Auguſtini ſententia pro defunctorum memoria ex miſſæ ſacrificio 13. quæſtione ſecũda cap. Tempus, & cap. Animæ defunctorum.

Pro nomine ſacrificij teſtes ſunt locupletiſsimi hi, quorum catalogus ſequitur. Gregorius quarto Dialogorum capite quinquageſimo octauo. Fulgentius libro ſecundo ad Monimum, circa principium. Leo Papa primus, in Epiſtola ad Dioſcorũ, ſcilicet nona Auguſtinus decimo de Ciuitate Dei capite. 20. Ambroſius de officiis libro primo capite quadrageſimo octauo. Chryſoſtomus de proditione Iudæ. In concilio Epheſino. In concilio Toletano 12. capite quinto. Carthaginenſi tertio capite vigeſimo quarto & Lateranenſi, vt habetur de ſumma Trinitate, cap. Firmiter. Si hos quæſtuarios cenſes, non refugio cum eis contumeliæ nota per te taxari.

Ex ſymbolo Epheſino dicitur ſacrificium incruentum. Cui conſentiens Gregorius Naziãzenus ait? Incruẽta oblatio eſt, quam offert ſacerdos in memoriam illius primæ oblationis in cruce.

Omnium iſtorum teſtis eſt Liturgia Chryſoſtomi, & tota Græcorum Eccleſia.

Habes & ex concilio Cabillonenſi recenſitum priſcæ morem Eccleſiæ in cap. Viſum, de conſecratione diſtinctione prima, & in eadem diſtinctione capite Sacramenta.

Turonica ſecũda ſynodus eos coërcet, qui poſt Miſſas redeũtes ad domos proprias, & poſt corpus

pus Domini ſacratas dæmoni eſcas accipiunt. Incidit ea ſynodus circiter ætatem Pelagij primi.

Tum etiam erant inſtitutæ præfationes diebus ſolennibus decantandæ, vt recenſetur de conſecratione diſtinctione prima cap. Inuenimus.

Hactenus dictum ſit de his, quæ in hanc horam ad manus noſtras peruenire potuerũt. Quæ ſi ad retundẽdam ceruicis duriſsimæ peruicaciam minus facere videbuntur: ſufficere tandem poterit ſupplicium ignis, qui nũquam dicit, ſufficit. Probis ac piis non dubito iſta ſuffectura abũdè: eo largiente, qui vnitrinus Deus viuit & regnat in perpetuas ſeculorum æternitates.

IN TOMVM TERTIVM PRAEFATIO.

SEro tandē neſcio quo fato, ad manus noſtras peruenit nō vna dignus execratione codex Caluinicus, qui vtinam nec ſero nec vnquam in lucem prodiiſſet : nulla alia luce dignior, quàm vltricis flammæ igniſq́; codicem illū mox deuoraturi. Hunc ego minimè dubitem ſanctiore vtriuſq; ſenatus centumviralis inquam ac Theologici cēſura iudicio ac decreto, perpetua (quòd minimum eſt) damnatum amneſtia, inq́; Chriſtianiſsimo Galliarū orbe pro mercali commercio venundari vetitum quē ego codicē ea mente vernacula ædi-

tum lingua mihi facilè perſuaſerim, vt ad mulierculas deliciis iam cõtaminatas, erroribuſq́; onuſtas, citius aduolaret, eáſque liberius dementaret & prõptius. Hoc igitur volumen neſcio quo aptius nomine vocem, quàm impietatum omnium lernã, ſentinam blaſphemiarũ, ac ſcurrilitatum iliadem. Adeò ſcatet omnigenis in ſacra omnia conuitiis, inq́; omnes catholicorũ ordines obiurgationibus turget: præſertim in hierarchiæ Eccleſiaſticæ omnium graduum proceres, omniũque aſſeſſores ſubſelliorum.

Hunc igitur vbi primùm ſummis (quod dicitur) labiis prægustare cœpi: operæprecium me facturum exiſtimaui, ſi in piorum gratiã, & quadantenus vacillantium leuamẽ, pro mea virili, refutandum expungen-

dumq́ue curarē, poſthabitis leuiſsimis quiſquiliis quas recēſuiſſe, id fuerit ſufficiēter exploſiſſe. Lectio enim ſola ſeipſam damnat & confundit, præoptato tamen priuſq; implorato Dei ſemper ac ſuper omnia benedicti, in eã rem neceſſario numinis afflatu, diuorumq́ue omnium opportuno ſuffragio, rei iſtius ergo, ne ſcilicet deeſſet aliquis qui ſe murũ opponeret pro domo Iſrael: Tomũ qui ſequitur, tertium, cum bona omniũ venia, more (quod dici ſolet) vrſino lambendum, edēdum curaui. Adſit modò qui mihi vires animoſq; ſuppeditet, candor animi penes lectorē, quem cauſa cognita, conatus iſtos, boni conſulturum minimè diffido.

TERTIVS SVBSEQVITVR TOMVS, QVO REFVTANDAE veniunt technæ Caluinicæ nullo non genere impietatis vsque ad piarum aurium nauseam abundantes, immo verius redũdantes aduersus Ecclesiastica sacramenta, & ab ipsa Ecclesia receptissima, citra pudorem & ruborem pestilẽtissimè effusæ, neque aliud quàm ad euertendas orthodoxorum mentes & conscientias per totum orbem catholicum dispersæ.

Primo igitur loco ad eradicanda funditus Caluinica figmenta potius quàm dogmata: statuẽda veniunt solidæ veritati innixa axiomata, ex ipsis scripturæ penetralibus desumpta.

Axioma primum.

NEC persuasio, quam falso depingit Caluinus de præsenti gratia, vel futura salute, nisi adsit diuina reuelatio, perpetuò hæret iustificationi eius, qui assereret se habere huiusmodi persuasionem. Sed nec iustificatio priuata conscientiæ perpetuo comitem habet sua incude percussam persuasionẽ. Prior assertio cuiuis obuia est ex Paulo: Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum. Esto igitur aliquis ex Cal- 1.Cor. 4.
uinatibus qui ita habeat pro persuasio, quòd nullius sit sibi culpæ conscius. Labitur tamẽ iudicio, si ex hoc credat se esse iustificatum: nisi velit Paulũ arguere mendacij, qui ait: huic persuasioni non statim esse annexam iustificationem. Quin mẽti-

tur ipſe potius, qui contra Paulum his verbis vtitur: Nihil mihi conſcius ſum, atque ideo iuſtificatus ſum. Id quod etiã ex verbis Chriſti deprehenditur, dicentis: Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo: & hæc facient vobis, quia nõ nouerunt patrem, neq; me. Iam verò conſtat ex diuo Auguſtino eos non agnoſcere Deum patrẽ qui non agnoſcunt Eccleſiam matrẽ. Et in pari cauſa Chryſoſtomus ait: Si agnoſcerent aduerſarij Chriſtum, non aliæ fierẽt Eccleſiæ Chriſti, aliæ Synagogæ hæreticorũ, qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Sciẽtia enim ſumenda eſt ex ſanctorũ patrum intelligentia. Non ergo omnis, qui exiſtimat obſequium ſe præſtare Deo, comitẽ habet iuſtificationem. Id quod ſuo exẽplo Paulus nobis perſpicuum eſſe voluit, ſuũ errorem ingenuè profeſſus, cũ ita diceret: Proficiebã in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abũdãtius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Super quo verbo, ita Oecumenius: Non id faciebam inani ductus gloria, ſed ob Dei zelum, quãquam erroneum. Quo exemplo diſcere debuit Caluinus, quam ſibi arrogat perſuaſionẽ, delirio eſſe attiguam, ideóque quantocyus abiiciendam.

Ioan. 16.

Rom. 10.

Galat. 1.

Sed quid clarius eo, quod in ſeſe agnouit Paulus, dicens: Perſecutus ſum Eccleſiam Dei? Et rurſum ad Timotheum: Prius blaſphemus fui, & perſequutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Manifeſtum ergo eſt cum perſuaſio-

ne fixa & firma, excludente omnem hæſitationẽ, (quàm Dialectici vocant formidinem de oppoſito) ſtare poſſe errorem. Atqui tranſmutato nomine, de Caluinatibus hæc eadem cauſa narratur. Sibi enim perſuadent, vt ſunt excæcatiſsimi, ſe partes tueri veritatis, religioníſque ac pietatis orthodoxæ. Sed excæcauit eos malitia eorum, cùm ſint rebelles & transfugæ, declinantes ſcilicet à vulua: errantéſq; ab vtero loquuti ſunt falſa. Et rurſum: Filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis, propriæque innixi prudẽtiæ & falluntur & fallunt. Quos Sapiens his depingit coloribus: Eſt generatio quæ ſibi munda videtur, per eam videlicet (quã ſibi ſtatuit Caluinus) perſuaſionem, de ſe (ſi creditur illi) non tamen eſt lota à ſordibus ſuis, ideóq; nec iuſtificata. Sapien. 2. Pſal. 57. Pſal. 17. Prou. 3.

Nec huiuſmodi hallucinationem ſilentio præteriit Diuus Ioannes in Apocalypſi ita inquiens: Dicis, quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus. Stat igitur aliquem, vt vult Caluinus, aut poti⁹ ſomniat, eſſe perſuaſum: nec tamen ob id eſſe iuſtificatum. Tutius igitur fuerit audire monentem Paulum: Noli altũ ſapere, ſed time. Alióq; iterum loco: Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat: quinetiã videat ne Caluinico perſuaſus argumento, fœdo iã lapſu corruerit. Apoc. 3. Roma. 11. 1. Cori. 10. 1. Corĩt. 4.

Sed quid apertius eo, quod ait: Sed neque meipſum iudico. qui me iudicat, Dominus eſt. Itaq; inquit, nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita Ibidem.

tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tũc laus erit vnicuique à Deo. Quæ omnia ex cõmuni procerũ Ecclesiæ interpretatione & cõsensu apertè docẽt citra reuelationẽ specialiter receptã, cũ priuato iudicio seu ꝑsuasione de propria salute stare posse errorẽ. Id quod latius deduxim⁹ si quem videre non pigebit in codice de vtriusq; gladij potestate, tomo secũdo, theoremate sexto.

Interim non diffiteor certò tenendũ esse, omni facienti quod in se est, Deum nõ denegaturũ media ad salutẽ opportuna: modò nolit cõtra stimulum calcitrare iuxta oraculum à diuo Paulo rece- (Act. 9.) ptum. Id enim apertè docẽt verba Apostolorum principis: In veritate comperio, quia non est personarũ acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiã, acceptus est illi. (Act. 10.)

Sed ea res exemplo luculentior euadet. Classis fuit inter hæreticorum colluuiẽ vna, quæ Catharorum dicebatur, qui seipsos despectis, cæteris, contemptimq́ue habitis, puros mundósque esse dicebant, miro artificio hunc errorem confutãte diuo Augustino: Hi omnino sibi persuadebant, quòd mundi & puri essent, ac prorsus iustificati, confidentius tamẽ quàm rectius. Iam vtrum velit dicat Caluinus: Iustificatíne erãt sua freti persuasione, an non? Si mundi, quomodo hæretici? Sin verò immundi, vbi est persuasio illa quæ perpetuò comitẽ habeat iustificationem? Sed seipsos (inquiet ille) fallebant. Cur ergo idem faciũt Caluinates, sibi solis persuadentes quod nemo ortho doxorũ eis concesserit? Quos vno verbo medios

tenet

Augustinus, dum ait in symbolo ad Catechumenos: Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. Quæcunque enim congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet: concubina est, nō matrona. In eadem igitur damnatione est pars Donati, & synagoga Caluini. Idéq; ad Bonifacium: Non habent Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam. de quibus scriptum est: Qui seipsos segregant, animales, spiritum non Iudæ 1.
habentes. Sic enim palea leui vento excutitur, residente in ea grano orthodoxi dogmatis pondere stabilito. Vti ergo aduersus Donatum ille ait: Ager est mundus, non Aphrica: messis, finis sęculi, non tempus Donati.

Hęc in Caluinum faba cuditur, extra Geneuense antrum esse Ecclesiam, eámque & ante & post Caluinum permāsuram. Sed quid externis opus habemus immorari exēplis? quādo in vobis ipsis tragœdiæ huius authoribus & satoribus, manifesto comprobatur exēplo, id quod adstruere nitimur, non esse coniunctam vestræ, quam fingitis, persuasioni, opinatissimæque opinioni, veram numinis iustificationem. Longè enim abestis à diuini numinis fauore intima pectoris iustificante, qui in salebra coniuratæ seditionis hæretis, extra fidei orthodoxæ cancellos tota via aberrantes, immersi lacui miseriæ, & luto fecis factionum hæreticarum. De vobis scriptum est: Qui in Apoc. 22.
sordibus est, sordescat adhuc. De piis autem & orthodoxis: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ibidem.
Ignoratis de vobis scriptum esse quod reuelan-

te Domino de veſtri ſimilibus pſeudoprophetis
Ezech.14. Ezechiel protulit: Propheta cùm errauerit, & loquutus fuerit verbum, ego dominus decepi prophetam illum: & extendam manum meam ſuper illum. Móxque ſequitur: Iuxta iniquitatem interrogantis: ſic iniquitas prophetę erit, vt non erret vltra domus Iſraël à me.

Idémque decimotertio capite ſic ait: Pro eo ꝙ mœrere feciſtis cor iuſti mendaciter, quem ego non contriſtaui, & confortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, & viueret: propterea vana non videbitis, & diuinationes non diuinabitis amplius. Quæ verba in eos competunt, qui ex proprij vertigine capitis, obuia quæque interpretantur. Nos verò quæ accepimus à piis, & ſanctis patribus, humiliter recipimus, & ſine inuidia communicamus. Caluinates autem à
Ioan.8. ſeipſis loquuntur, nullo citato authore in exponendis ſcripturis. Qui autem à ſeipſo loquitur, mendax eſt. Hac itaque falce reſecta iacet inauſpicata ſeges logomachiæ tuæ, qua multo paginarum complexu, corruptorio tuo, verius quàm correctorio, teipſum orbi Chriſtiano traduxiſti, larua tandem retecta ſubſannandũ & conſpuendum: nempe vſq; ad illud, quo contendis, ſupprimendam eſſe confeſsionem ſecretioris, ac perinde ſacratioris arcani, auricularem. In toto enim diſcurſu, colliſa ruunt ſubductis tecta columnis: cùm longè abſit iuſtificatio ab ea, quam vobis impudenter arrogatis fixa & indubitata præſentis Dei fauoris perſuaſione. Id enim intelligunt pij omnes

omnes & catholici.

Cõprobãdum nihilominus eſt, quod pars altera axiomatis habet, iſtud videlicet: ſtare verã iuſtificationem ſine illa à vobis efficta perſuaſione. Sed quo potius id aſſequi poſſumus, quàm euangelicæ lucis perſpicuo exẽplo & teſtimonio ex Matt. Matth.9. Marci, & Lucæ officina deprompto, de Hęmorrhoiſſa illa muliere quam iuſtificatam fuiſſe Chri Marc.5. ſti verba luculenter oſtendunt, dicentis: Confide Luc.8. filia, fides tua te ſaluam fecit. cùm tamen hęc, ipſa verba ex hiſtoriæ contextu tremebunda audiret? Fuit ergo iuſtificata, cùm nondum eam, quam effingitis, haberet perſuaſionem. Idque comprobatur publicani peccatoris exẽplo, qui nec oculos Luc.18. in cœlum leuare audebat, abiit tamen iuſtificatus in domum ſuam. Quid autem in re tam aperta commemorare opus eſt, plorantis, gementis, ac plangentis Magdalenæ pœnitentiam, ac poſt Luc.7. audita iuſtificationis verba, ſua ſcelera deplorantis? Idem de iuſtificatione Petri poſt abnegatum Matt.26. Chriſtum quiuis è Triclinio intelligit. Scriptum enim eſt: Fili accedẽs ad ſeruitutem Dei, ſta in iu- Eccli.2. ſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationẽ. Quæ omnia rimatus profundè. D. Greg. ita ſcripſit penè ad verbũ: Si penitus diffidimus, deſperamus. Si plus iuſto confidimus: præſumimus. Melius eſt igitur, vt ſciẽdo neſciamus, & neſciendo ſciamus. His ita conſtitutis, deprimitur & humiliatur lignum commentitium Caluini ſublime, & exaltatur catholicum axioma humile.

Effatum alterum.

QVoties in ſenſu ſcripturæ conſtituendo controuerſia oritur, vox vnius, vox nullius. Quin potius à parte eius ſtandum eſt, qui prolatam interpretationem, patrum conſenſu, cõciliorum decretis, prudentiúmque reſponſis, fultam ac munitam oſtendit. Et hic tota concidit larua Caluinica: quæ dum ſui vertiginoſi capitis commenta ſarta tecta haberi vult: ſcripturæ corticem profert, & interpretationem ex priuato ſenſu, nullius authoris teſtimonio comprobatam, ideóque prorſus exibilandam, atque etiam expuendam. Huc etiam ſpectat ſummæ veritatis fixa ſententia apud Ioan. 7. & 8. cap. Qui à ſemetipſo loquitur, mendax eſt, & pater eius, ſcilicet mendacij. Is eſt Caluinus, qui ex propriis loquitur, ideóque non ſolùm mentitur tanquã ſeductus ab altero, immo ſibiipſi ſeductionis cauſa eſt. Quod opus eſt planè diabolicum, vt ſuper Ioan. teſtatur Aug. Nam ſeduci ab alio, humanum eſt: ſe verò ipſum seducere, propriáq; excæcari philautia, propriæ inniti prudentiæ, pij cuiuſlibet ſententiam aſpernari, præ ſe cæteros contemnere, ſe tantum vnum exaudire velle, planè diabolicum eſt. Proinde vę corona ſuperbiæ, ebriis Ephraim Caluinatibus, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius: qui erant in vertice vallis pinguiſsimæ errantes à vino. Et rurſum: Abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudiciũ. Citat quidẽ Caluinus textus, ſed fœda ſua interpretatione

Iſaiæ 28.

Ibidem.

pretatione corruptos. Idipſum & dęmon vſurpauit apud Chriſtum, ſcripturam citans, ſed mutilam, & in alium quàm oportuit ſenſum detortã. Matth. 4.
Id quod eſt Caluino peculiare, & omnino genuinũ. Nos verò quod citamus pro ſenſu ſcripturæ conſtituendo: id piorum teſtimonio, qui vita, moribus, & miraculis claruerunt, teſtatum & comprobatum declaramus. At quis neſcit ſcriptum Ioan. 7.
eſſe: Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit? Et de patre hæreticorum diabolo dicitur: Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mẽdax eſt, & pater eius. Quod quidẽ cõpe- Ioan. 8.
tit ei, qui nullius fultus teſtimonio, ſeipſum ſeducit: in hoc (vt ait Origenes) deterior, ꝙ alij quidẽ ab alio falluntur, iſte verò ſibiipſi deceptionis au thor exiſtit. Nec omnis (vt ait Auguſtinus) qui mentitur pater ſui mendacij, ſed qui ſibiipſi eſt cauſa mendacij, quo tanquam veneno ſeipſum interimit. Quin & alios inficiẽs, cẽſetur homicida ab initio, fons inquã & origo homicidij. Porrò in quocunq; (ait ille) opera diaboli fuerint inuenta, diabolus eſt appellandus. Operis enim nomen eſt, non naturæ. Qui igitur à ſemetipſo loquitur, propriam gloriam quærens, alienámque vſurpans, iniuſtus eſt.

Proinde Caluinica omnia commenta, ne minimo quidem totius Eccleſiæ fulta teſtimonio, pro adulterinis habenda ſunt, prorſúſque explodenda. Contrà verò, Catholici omnes occurrere habent ſponſo Chriſto, & ſponſę Eccleſiæ, quorum eſt vnus animorum conſenſus, & mentium.

Fatuæ apud hęreticos virgines cùm oleo careāt, nec à vendētibus ſibi comparare dignātur, ideóque merito illis ianua clauditur. Sed nec ſpōſum agnoſcūt, qui ſponſam dedignantur. Hæc ſufficere debent ad retegendam Laruæ Caluinicę impuritatem. Habet itaque pius lector, ex his quæ diximus, prius velatam, nunc vero reuelatam in conſpectu ſolis huius, cōfutatámque Caluinicam imposturam, de fixa illa propriæ iuſtificationis perſuaſione, deque corrupta ac detorta in aliū quàm oportuit ſenſum ſcripturę interpretatione. Quod aſſerit, vanū: quod aſſumit ad probādum, fictitiū ac cōmētitiū eſt. Trahit enim in priuatum affectū literā repugnantē. Hic te cōuenio Caluine: Si (vt petulanter & ſeditioſe aſſeueras) vniuerſa prælatorum cohors, & acies in concilio legitimo rectè ordinata, minime ſufficit legi conſtituendæ ſuper interpretatiōe ſcripturæ: quomodo tu huic negocio ſufficies vnus, nullo tibi ſuffragante piorū ac catholicorum? Dum enim (quæ in tuis ſcriptis rara auis eſt) aliquem ex patribus citas quaſi ſuffragantem: eum non niſi mutilum verbiſque detortis recitas, in ſexcentis alioqui locis tuæ ſententiæ ex diametro aduerſum. Mira impudentia. Vnus Caluinus ſolus poteſt, quod reliquus orbis ſibi tribuere nequeat. Hîc ſaltem erubeſcere deberes os impudens. Quod hîc dicitur, tuo ipſius exēplo comprobatur. Cōgeris locos innumeros, ſed pſeudographè tua interpretatione deformatos: vt ſi poſſis, perſuadeas ſatisfactionem obſcurare gratiam Dei. Quod ſi verum eſſet: patrum priſcorum

rum

rum numeroſa turba, id quod dicis agnouiſſet: cùm tamen nihil minus fecerit. Quin potius congeſtis vndecũque locis tam ſimilibus quàm diſſimilibus, inque ſpeciem aduerſis, ita rem totam tẽperarunt: vt nec gratiam dicerent offundere ſatiſfactioni, nec ſatisfactionem gratię. Quis iam tam delirus, vt deſertis eorum ſignis, te vnũ per abrupta ſequi velit errantem? Obmuteſce igitur miſer, & ſi frontem habeas pudoris capacem, tandẽ erubeſce. Hoc vnum exemplum inſtar ſit omnium: ita vt qui in hac tibi parte reſponderit, tuas in reliquis nugas confutaſſe cenſeatur.

Phanaticam hanc veſtram perſuaſionem, vt finem hæc perioche inueniat, nemo appoſitius eluſit, quàm Irenęus aduerſus hæreſes lib. I. qui Caluinates in Valentinianis confutans ſic ait: Nos quidẽq; per timorem Dei timemus, etiam vſque in mentibus noſtris & in ſermonibus peccare arguunt quaſi idiotas & nihil ſcientes, ſemetipſos extollunt perfectos vocantes, & ſemina electionis. Nos enim in vſu dei gratiam accipere dicũt: quapropter & offerri à nobis, ſemetipſos autem inproprie poſſidere, deſurſum ab inenarrabili & innominabili ſyzygia, ſeu ſi mauis cõiugatiõe quadam indiſſolubili deſcendentem habere gratiam & propterea adiici eis. Quapropter ex omni modo oportere eos ſyzygię meditari myſteriũ. Quo nomine nihil aptius intelligi poſsit, quàm veſana illa Caluinatiũ perſuaſio, quę vt ſuperbia impiorum, aſcendit ſemper, creſcit in immẽſum, nec velut ignis vnquam dicit ſufficit.

Effatum tertium ſuper authoritate hierarchicarum traditionum communi eccleſię conſenſu receptarum ac probatarum.

TAm ingẽs eſt tuæ hebetudo mẽtis atque ſupinitas, aut certe animi ſtupor, cordíſve tumor & elatio: vt vel intelligere nequeas, vel agnoſcere nolis tui craſſitiem erroris, dum ſcilicet in nullo aut gradu aut numero reponendam cenſes ſuſpiciendam ſemper ac venerandam priſcorum patrum perpetuo vſu communique conſenſu obſeruatam conſuetudinem. Quæ tamen, vti & ſcriptura, Spiritusſancto ſuggerente, ad piorum mentes peruenit, eodémque conſeruante, ad nos per manus deuoluta eſt. Quis neſcit conſuetudinem legem eſſe non ſcriptam, nihil autem differre à ſcripta: cum illa continuo vſu, iſta verò characteribus ſe conſpicuam præbeat? Atqui operibus perinde atque verbis credendũ nemo negauerit, quòd ſcilicet traditio eccleſiaſtica vna piis ſufficiebat ante omnem ſcripturam, ſcripta in cordibus hominum fœlicius & efficaciꝰ, quàm in characteribus codicum. Statim poſt homines natos traditionibꝰ religio fouebatur, cùm nullæ adhuc eſſent ſcriptæ leges Ante legem ſcriptam, præter legem naturę cordibus humanis inſculptam, diuino afflatu inductæ ſunt traditiones. Omnia quæ ad pietatem cultúmque diuinum ſpectabant, ex ore in aurem per manus tradita gerebantur. Nemo

mo igitur negauerit, ea ætate legem diuinam sola fuisse traditione contantã. Idem dixeris in principio nascentis ecclesiæ, priusquam Euangelistæ sua scripta ædidissent, quãdo ritibus sacris & piorum vsu stabat res tota hierarchica. Pars enim legis optima consistebat in piorũ ritib⁹ & traditionibus, adeò vt qui traditionem in vniuersum negauerit, scripturam quoque abnegasse censeatur: vti cùm de Iuda Machabęo scribitur: Nisi eos qui ceciderãt, resurrecturos speraret: superfluum videretur & vanum orare pro mortuis. Vnum dicit, aliud supponit pendens ab vsu & priscorũ traditione patrum, nempe de oratione pro mortuis etiam citra præscriptum scripturę effusa & effundenda. Erat igitur traditio ante scripturam, vti ex Paulo constat hierarchiam ecclesiasticã quadantenus cõstare sine scriptura, cùm ait: Cætera cùm venero, disponam. Ritualis fuit illa dispositio, nõ scripta. Quid autem aliud idem indicat, cùm ait: Nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei? Vbi ad sedandam contentionẽ satis habuit proferre cõsuetudinẽ, etiã omni cessante scriptura. Qui igitur traditionis vim & energiam abiecerit, idem scripturæ authoritatẽ abdicasse dicatur necesse est: adeò mutuò coherent & hierarchicę traditionis & sacrę lectionis authoritas. Cũ igitur facta sint interpretatiua dictorũ, nihilq; interfit, an vis & energia obligãdi scriptis cõprobetur, aut vsus lõgæui operibus: sequẽs est traditiones nõ scriptas, vsu tamen hierarchico cõprobatas & declaratas, legis habere vigorem: immo &

2.Macha. 12.

1.cor.11.

Ibidem.

ipſam quoque legem non dico abrogari, ſed limitari longæuæ conſuetudinis vſu, quo ſcilicet declaratur legiſlatoris intentio. Eſt enim conſuetudo optima legis interpres. Cumque vna ſit eccleſia Chriſti ſponſa indiuidua, ab initio vſque ad finem ſeculi duratura, catholica & apoſtolica: ſequens eſt in eodem gradu haberi traditiones apoſtolicas, & vniuerſalis eccleſiæ hierarchicas, quæ ſpiritusancto ſuggerente, quanuis diuerſis temporibus, pari tamen authoritate traditæ inualuerunt. Et id quidē ex communione Chriſti ſponſi
Matth. 28 ad eccleſiam ſpōſam, qui ait: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Vobiſcum, inquam, tam in conſtituendis legibus, quā in tuendis, quæ ſpiritusancto ſuggerente ſubortæ ſunt hierarchicis traditionibus.

Sed quid opus probatione, cùm rem totam ad viuum depinxerit ac digeſſerit diuus Paulus in Theſſalonicenſibus in pleriſque locis? In primis 2. ad Theſſalonicenſes. 2. Itaque fratres (inquit) ſtate, & tenete inſtitutiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtrā. Super quæ Oecumenius: Nam & ſine ſcriptura, & per ſcripturam nonnulla tradebant Apoſtoli, & vtraque digna erant quæ obſeruarentur. Itaque eccleſiæ traditio etiam citra ſcripturam obſeruāda eſt. Nec minorem huic negocio lucem adfert, quod idē apertè pronunciat his verbis: Subtrahatis vos
2. Theſſ. 3. ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis. Traditionem inquàm Oecumenio authore, quā

operibus

operibus vobis tradidi, factus vobis typus. Ideoque multa in actis leguntur de Apostolorum decretis, deque eorum traditionib⁹: cuiusmodi est illud: Perambulabat autem Syriam Paul⁹ & Ciliciam, confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Præcepta, inquam, tam scripta, quàm non scripta. Multa siquidem tradita intelligimus à Christo domino, quæ non sunt relata in literas, vt cùm Actorũ primo capite legitur: Apparens eis per dies quadraginta, & loquens de regno Dei, hoc est de regimine Hierarchico ecclesiæ: vt sciamus multa post resurrectionem Christum docuisse discipulos, nullis tamen exarata codicibus. E quibus illud vnum erat postea à Paulo recitatum: Recordari oportet verbi domini Iesu, qui ait: beatius est dare, quàm accipere. Sed quid opus multis, cùm legam⁹ multa alia signa fecisse Iesum, quæ non sunt scripta in libro hoc? Cuiusmodi est traditio de baptismate paruulorum ad nos perpetuo vsu per manus deuoluta, aliáque non pauca, quæ ad vsum sacramẽtorum pertinent, à quibus recedere, cõtraque reniti, piaculum sit. Nã vt in Colossensibus. 2. Paulus ait: Ambulat inflatus sensu carnis suæ, qui nõ tenet caput, ex quo totum corpus per nexus & cõiunctiones subministratum & constructũ crescit in augmentum Dei. Quæ pro parte sunt ecclesiasticæ tum leges, tum consuetudines. Quas qui negligit: habẽdus est pro fratre ambulante inordinatè: quanto magis qui expuit & cõtemnit? Ad quam rem facit, quod diuus Augustin⁹ Pauli sen-

Actu.15. Actu.20. Ioan.20.

tentiam ad Timotheum elucidans, ſic ait: Non omnino iubet Paulus deuitari verborum nouitates, ſed addidit, prophanas. Sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates, ſicut ipſum nomen Chriſtianorum, quan-
Acto.11. do dici cœperit. Scriptum enim eſt: In Antiochia primùm poſt aſcenſionem domini, appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani, ſicut legimus in Actis apoſtolorum. Et Xenodochia & monaſteria poſtea ſunt appellata nouis nominibus, res tamen ipſæ & ante nomina ſua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur aduerſus impietatem Arrianorum hæreticorum. Nouum nomen patres homouſion condiderunt: ſed non rem nouam tali nomine ſignauerunt. Hoc enim vocatur homouſion, quod eſt:
Ioan.13. Ego & pater vnum ſumus, vnius videlicet eiuſdemque ſubſtantiæ. Nam ſi omnis nouitas prophana eſſet, nec à domino diceretur: Mandatum nouum do vobis. Hęc ille.

Hinc ſacramentorum vſus, canones Apoſtolorum ab Eccleſia recepti, cultus venerationéſq; diuorum & imaginum. Hinc etiam quadrageſimalis obſeruatio, cuius meminit Apoſtolorum pene ſynchronus Ignatius, & aliæ complures extra ſcripturam eccleſiæ traditiones. Hinc prodiit canon ille ſolennis diſtinct. 11. Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam verò cõſuetudine roboratas, approbauit vſus, quib⁹ par ritus, & idẽ vtriuſq; pietatis debetur affectus. vnde quis vel aliquantulum ſacrarum expertus ſcriptu-

ſcripturarum hæſitauerit? Si enim attenderimus conſuetudines eccleſiæ non per ſcripturas à patribus traditas, nihil æſtimare: quantum religio detrimenti ſit latura, intentiuè inſpicientibus liquidò conſtabit.

Hæc cùm ita ſe habeant, cui ex verè piis & orthodoxis ſtomachũ non moueat ferociſſima Caluini temeritas, & omnibus antea ſeculis inaudita petulãtia? Qui omnes omnium temporum traditiones pro nihilo haberi vult, omnia ad ſui capitis furioſam dementiã referẽs, omnia pugillo ſuæ temeritatis concludens: vt quicquid cenſuerit catholicum, pro catholico habeatur. quod autẽ reiecerit ab ordine & gradu catholici dogmatis, id confeſtim reiiciatur. Quid propius accedere poteſt ad Antichriſtianæ ac Luciferianæ temeritatis blaſphemiam? Immo quid aliud eſt, aut Antichriſtum eſſe, aut certè Luciferum, quàm immenſum ſcripturæ pelagus, piorúmque omnium ſenſus & affectus, ſuæ vni⁹ ferulæ ſupponere velle? Id quod portentum iſtud hominis, ac mera humanitatis vmbra, nedũ cogitare, ſed & profiteri audet. Qui omnes ad vnum doctores, pios ac religioſos, atq; adeò germanũ ſcripturæ ſenſum, niſi ſuo arrideat iudicio, vnguibus lacerat, dentibus laniat, pedibus proterit & conculcat. quos, inquam, ad vnũ omnes nulla veniæ præfatione, nullo dignitatis gradu aut honore dignatur, neq; in vllo eos ſaltẽ ſubſelliorũ numero reponit, alios pro ſtolidis habẽs, alios verò delirij nota perſtringens. Sibi vni arrogat, quod nec omnib⁹ iũctim quis adſcribere

audeat. Quo igitur illũ honore, immo quibus nõ cõuiciis dignũ censebis, qui sibi Suffenus vni, omnes indiscriminatim arrodit, conuicia iactat in omnes? Et cùm hæc perspicua sint omnibus: sibi tamen mire placet, cùm in totum abrogare vult cultum ac venerationem diuorum, imaginum ac reliquiarum, singularis ille ferus, in hoc solùm intentus, vt euellat ac disperdat, obscuret, & (quoad fieri possit) confundat decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ suæ.

Sed veretur bellus impostor, & personatus histrio, ne fortè cultus diuorum honorem Deo debitum obscuret, aut obtenebret. Quasi verò finiti ad infinitum vlla sit proportio, aut punctũ officere possit lineę, aut certè aurea Phœbe, dum radios à Sole recipit, aliquid de eius splendore detrahat, cùm Solem potius ex eo quod recipit, si non lumine, certè honore & gloria illustret. Itaque tantum abest, vt qui diuis exhibetur honor, diuinæ gloriæ negocium faciat: vt eã potius quadantenus illustret, & (si fieri possit) augeat. Riuus à fonte promanans non exhaurit fontem: quin potius scaturiginem vnde procedit, egregiè illustrat & commendat. Idem dixeris de cultu diuorum ad eum, qui Deo debetur, honorem collato. Qua de re aliàs iusto volumine disseruimus. Id tantum dixisse sufficiat. Timent isti vitiligatores, aut timere se simulant, ne si quis ex riuo quicquã hauriat, inde depereat aliquid fonti aut rei, aut famæ vel honoris. At quis fuit vnquam tam stupidus, vt id vel de somnio cogitauerit, vt si quis ita

dixerit

dixerit:Non auſim aliquid haurire apud fontem liquoris, ne ipſi fiat iniuria, ſi deſerto eo aliquid deſumatur è riuo?Neque enim aliud eſt quod iſti volunt, vetantes ne quicquam petatur à diuis, quaſi id vergat in diuinæ bonitatis aut iacturam aut dedecus: cùm tamen omnia, quæ diuorum ad nos perueniunt adminiculo, ipſi Deo referantur accepta. Pium igitur fuerit, modò ad Deum accedere, modò ad diuos, prout iuſta & æqua ſeſe offeret occaſio: quemdmodum nihil piaculi inde ſequatur, ſi modò ex fonte, modò ex riuo quis hauriat. Nec id eis ſufficit, niſi & ipſi imaginibus infenſi, indignè ferant, ſi diuo Antonio ignis morbidi ſignum adpingatur, aut vinculorum pictura diuo Leonardo : quaſi ab his rebus vel ſupprimendis vel ſignandis vniuerſa lex pendeat, aut prophetæ. Ego verò confidenter aſſerere auſim, nihil inde piis mentibus ſuboriri poſſe incommodi. Perinde enim eſt, ac ſi aliquis ita dicat: Imago hæc ignea quæ admonet vt intelligas Deum mirabilem in ſanctis ſuis, id præſtitiſſe fauoris diuo Antonio, vt inuocato eius ſuffragio, ab innumeris penè auxilium implorantibus morbidus ignis extinctus ſit.

Parémque habent ſignificationem, ea quæ diui Leonardi memoria vincula geſtat: vt ſcilicet omnes intelligant eius numen ſub diuinæ clementiæ auſpiciis inuocatum multis excuſſiſſe vincula. Cuius rei innumeris penè exemplis exhibitæ, cœlum & terra teſtes ſunt. Miracula enim in pari cauſa ædita & prodita fuiſſe, omni exceptio-

ne maiores teſtantur authores: vt diuus Auguſtinus de protomartyre Stephano, diuus Ambroſius de Geruaſio & Protaſio martyribus ingenuè profitentur. A cæteris exemplis abſtineo: quę quando vbi ſunt quæris, per mare quæris aquam. Immò cur in pari cauſa Lutherani ipſi Ioſuæ perſonã pingentes, ſolarẽ imaginẽ ei⁹ vexillo adpingunt, niſi ad conteſtationem miraculi per eum à
Ioſue.10. Deo impetrati? Quòd autem ſplendido mendacio aiunt, nullam in ſcripturis de diuorum interuentione fieri mentionem: illud eos vanitatis arguit, quòd à patriarcha Iacob legimus Geneſeos quadrageſimo octauo capite, vbi non ſolùm nomen Dei inuocatur, immo & Angelicum imploratur ſuffragium. Deus (inquit ille) qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in pręſentem diem, & Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. Quem & textum & eius intelligentiam, nec nouelli quidem Græculi Hebraicive interpretes obſcurare potuerunt. Quis iam hęſitabit an nobis liceat angelicorum ſpirituum, diuorúmque qui apud ſuperos dies lætos agunt, benedictionẽ precari, quã vi (vt ſic dicã) ille ex-
Gene.32. torquere auſus ſit, dicẽs: Non dimittã te: niſi benedixeris mihi? Quis non reuereatur diuorum nomen, quorum præſentiam offendiſſe nefas ſit,
Matth.18. dicente domino: Nolite ſcandalizare vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt: Ne etiam (inquit) irreuerentiam faciatis, néve irritetis ange-
Ibidem. los eorum, qui patri ſemper aſſiſtunt. Quòd fruſtra dictum videretur, niſi & ſuo fauore nobis

bis prodesse, & iusta in nos vindicta animaduertere possent. Adeò sunt insipidi & infatuati diuorum osores, vt vel non legant, vel non intelligant, quod Danielis decimo capite scriptum legimus Angelico reuelatũ oraculo: Noli metuere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligẽdum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos. Nostras igitur orationes Angeli audiunt, & pro nobis interueniunt. Nec multò pòst sequitur series venerationis Danielis ad Angelum quam mox sequuta est suffragium Angelicũ. Quomodo (inquiebat Daniel) poterit seruus Domini mei loqui cum domino meo? Ecce venerationem duliæ. Cùm autem subsequitur: Noli timere vir desideriorum, pax tibi: confortare, & esto robustus. Ecce suffragium Angelicum.

Nunc è diuerticulo in viam redeuntes, geminã statuemus legẽ omnibus orthodoxis illibatè obseruandam: Scripto reuelatam vnam, aliam verò tacita Spiritus sancti suggestione à patrib⁹ ad nos deuolutam. Illa scripta est in codicibus, ista insculpta piorum mentibus secretiore numinis afflatu. Illa lectione percipitur, & piorum interpretatione intelligitur: ista procerum catholicorum vsu & consensu comprobatur. Quemadmodum enim scripturæ vicem gerit simulacrum: ita & vigorem legis habent orthodoxorum patrum traditiones, hæ potissimum, quas Ecclesia Christi sponsa pro piis catholicisque recepit. Illa palam nata prodiit in publicum: ista suborta, sensimque

ſubinducta, vſu receptiſsimo vim retinuit obligatoriam. Et vt res ipſa exemplo notior euadat: inualuit aliquando traditione irroborata permiſsio à patriarchis ad Synagogã polygamiæ. Quæ (vt ait Diuus Ambroſius) cùm cõſuetudo, erat culpa non erat. Ea tamen polygamia adueniẽte Euangelica luce, viribus exhauſta defecit, & ſenio exãgui frigẽs ſua robora ſenſim perdidit: & id quidẽ traditione ab Eccleſia recepta. Quæ omnia conſtant ex cap. Quis ignoret, & cap. Obiiciuntur, Hieronymo & Ambroſio authoribus, trigeſima ſecunda, quæſt. quarta. Seruiuit Abraham legi, & tempori ſuo (ait Hieronymus) ſeruiamus & nos legi, & tempori noſtro, in quos fines ſeculorũ deuenerunt. Succinẽs Ambroſius ſic ait: Obiiciuntur Iacob quatuor vxores: quod quãdo mos erat, crimen non erat, mos ſcilicet Diuinus, & à Deo inſpiratus, vt ait gloſſa. Cõſonat cap. Gaudemus, de diuortiis. Huc ergo pertinẽt leges ad traditionem ſpectantes, potiùs quàm ad ſcripturam, verſio ſcilicet ſabbati in diem Dominicũ, quæ à Diuo Ioanne non tam lege ſtatuitur, quàm vſu recepta ſupponitur, Apocalypſis primo. Idẽ de quadrageſima (cuius ſupra meminimus) dixeris, quã vſu iam receptam indicat Egnatius dicens, Quadrageſimam ſumma obſeruatione eſſe tenẽdam. Habet enim (inquit ille) exemplũ ieiunij Chriſti. Hinc etiam à traditione magis, quàm à ſcriptura, pẽdet in ieiuniis ichthyophagia, & à carnibus abſtinentia, aridiorúmque ciborum eſus (Xerophagian Tertullianus appellat, ieiuniúmque portionale)

nale) cùm constet veteres communi vsu etiam à communibus cibis abstinuisse. Quorum exemplo (tametsi non ita exacto) vsu hierarchico receptum est in aridioribus cibis ieiunandum esse, nõ tam lege scripta quàm subscripta, nec tam palàm nata quàm subnata, subortáque ac subinducta consuetudine aliquanto pòst tempore in Canonem redacta. Quæ tamen ex receptione sponsæ Christi Ecclesiæ, legis habet vigorẽ, adeò vt à nemine abrogari posſit in totum, præsertim vbi decoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ. Quo casu quicquid in contrarium attẽtaretur: viribus non subsisteret. Legalia quãdo apud omnes mortifera esse cœperint, nemo acu (quod dicitur) designare posſit. Nunc autem traditione potiùs quàm scripto omnes scimus non solùm esse mortua, verũ etiam mortifera lege Ecclesiæ tacita, quam traditionem appellamus. Idipsum certa fide tenẽdum est, cùm cunctis orthodoxis credendum proponitur, Petrum fuisse Romæ. Idem dixeris de succesſione põtificatus Petri ad posteros: Ad quem tamen lapidem disciplinæ osores Ecclesiasticæ, omnes ad vnum turpiter offendunt, tanquam ad lapidem offensionis, & petram scãdali, vniuerso hæreticorum gregi ad euertendam Ecclesiæ disciplinã coniuratisſimo. Hi enim hæretici si quid mentis haberent: planè intelligerent Christũ Dominum non in Petri tãtùm, verumetiam in totius Ecclesiæ ad finem vsq; seculi duraturæ gratiam, primatum hierarchicũ instituisse. Quomodo igitur expirasset diuo Petro è medio ablato, nisi ad

ſucceſſores etiam Petri deueniret, quæ Petro fuerat collata poteſtas. Alioqui niſi tranſiſſet ad poſteros: non eſſet ſalua omnis caro ſuccedentium martyrum & pontificum qui ea vſi ſunt, ſi ſibi arrogaſſent tantam poteſtatem, nullo numinis afflatu ſuggeſtam & ſubinductam. Quos omnes malè periiſſe, nec auris quidem Chriſtiana audire poteſt: & id aſſerere, omnem crudelitatis ſæuitiam ſuperat. Sed de hoc aliàs, iuſto in eam rem confecto volumine.

Hac etiam lege obſtringuntur orthodoxi, vt firmiter credant & teneant verbis à Chriſto in cœna prolatis, dum recenſentur à ſacerdote, auguſtiſsimi Euchariſtiæ ſacramenti conſecrationem fieri, vti ſupra latius diſſeruimus. Quibus rectè conſideratis: ruit tota moles Caluinicæ impietatis per hanc inexpugnabilem machinam, quòd non ſolum ſcriptis Bibliorum ſacroſanctis, immò verò & hierarchicis ſponſæ Chriſti Eccleſiæ traditionibus, vim & energiam obligationis habentibus, inconcuſſa & perpetua fide obtemperandum ſit & adhærendum. Habet itaque orthodoxus, vnde merito exibilare poſsit irritas & vanas huius impoſtoris Caluini calumnias, omniáque machinamenta euertere, ita vt commenta eius.

Cuncta & in æquoreos diſcedant irrita ventos,
Cunctáque Lethæis merſa ferantur aquis.

Hæc autem eſt machina prorſus inexpugnabilis, qua omnia inimici tela retunduntur, & extinguuntur, etiam ſi ſint ignea, cui traditionũ hierarchica-

rarchicarũ authoritati inſuperabili,vno conſenſu vna acclamatione, atteſtatur turba piorum vniuerſa,priſcæ inquã ætatis,mediæ,ac infimæ.Contra quos non fuit qui aperiret os, aut obganniret, præter quoſdam, & eos quidem paucos, malè feriatos hæreticos. Qui cùm non habeant quid aliud poſsint: quod lacerare nequeunt, ſaltem arrodunt, ſuam manifeſtè impietatem perſpicuo indicio prodẽtes, cùm ſcriptura ſacra ipſas etiam traditiones recipiendas teſtetur. Sic enim Paulus priore ad Corinthios vndecimo ait: Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Secundæ ad Timotheum ſecundo. Quæ audiſti à me per multos teſtes, commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Hæc erat Chriſtianorum Cabala, cui illud Pſalmiſtæ competit: Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annunciauerunt nobis. Pſal. 43.

Præſto eſt ad eam rẽ comprobandã, priſcus ille author Irenæus, Quid (inquiens) ſi neq; Apoſtoli quidẽ ſcripturas reliquiſſent nobis, nõne oportebat ordinẽ ſequi traditionis, quam tradiderũt his quibus committebant Eccleſias? Hæc ille quarto cap. tertij libri aduerſus hæreſes. Ille inquã diſcipulus Polycarpi martyris, quẽ Ioãnes Euãgeliſta diſcipulũ habuerat. Alioqui quomodo diſcernas ſcripturã Canonicã à nõ canonica, niſi ex Eccleſiæ traditione piorum cõmuni conſenſu recepta? Ante ſcripturã pro ſcopo habebat Eccleſia traditiones: neq; earũ eſt diminuta authoritas. Eadẽq;

permanet Ecclesia Christi sponsa. manebunt igitur traditiones in eodem & numero & gradu authoritatis. Neque aliud voluit ad Ianuarium August. epistola 118. Illa (inquiens) quę non scripta, sed tradita custodimus, quę quidem toto orbe terrarum obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis (quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas) commendata atque statuta retineri. Vnde hæc quin ita facienda sint, disputare, insolentissimę insanię est. Idem ad Casulanum: In his rebus, de quibus nil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenēda sunt. Et sicut prævaricatores diuinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercēdi sunt. Idémque comprobat aduersus Cresconium Grámaticum. Proinde (inquiens) quanuis huius rei certum de scripturis non proferatur exemplum: earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quā simul ipsarum scripturarum commēdat authoritas: vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demōstrat. Hęc Augustinus. Damascenus legatur lib. 4. de orthodoxa fide, 13. & 17. cap. Item Origenes in Numeros homilia 5. vbi de ritu administrandorum sacramentorum agit à Christo domino & Apostolis nobis per manus tradito.

Hinc

Hinc perpetua stabilitur Christiferæ virginis matris virginitas, Baptismus (vti iam dictum est) paruulorum, ordinum gradus, & digesta constitutio. Basilius item magnus (de quo id celebratur elogium, aut Angelus, aut certè Basilius) in libro de Spiritu sancto, palàm asserit dogmata quę in Ecclesia seruantur, partim ex conscripta doctrina, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata, & vtraque eandem vim ac pietatem habere. Tertullianum, Vincentium Lirinensem, alio à nobis citatos loco, hic non commemorabo. Quorum testimonia non solùm vniuersa, verũ & singula sufficere possunt, cũ nemo sit qui ratiocinationis eorum torrẽti sese opponere audeat, vbi quis vel à limine salutauerit Lirinensis expositionem in verba Pauli ad Timotheum. Legant hæretici, & digesto ordine respondeant. Quod vbi facere non poterunt, se tandem victos fateantur: nisi quòd vinci quidem possunt, vt certè victi sunt: sed tãta est vis superbię & elationis, vt quod interius cognoscunt, proprio ipsorum iudicio cõdẽnati, exterius agnoscere nolint. Est enim apud eos veritas elinguis & muta: superbia verò plusquam vocalis, sonora, inquam, & vsque ad rauim conuiciorum clamorosa.

Hæc tam multa debent sufficere cuiuis orthodoxo, vt sua statione contentus, sibi deinceps canat & Musis. nec curet vltrà contendere verbis, contra hæreticos graculis vocaliores. Scriptum enim est: Non litiges cum homine linguato, & Eccli. 8.
nõ strues in ignem ipsius, ligna. Non communi-

ces homini indocto, ne mala de progenie tua loquatur. Quid enim facias, quóve ordine certes, vbi nullus eſt legitimæ concertationi locus, deficientibus vtrinque communibus armis? Neque enim ſufficiat dicere præſentem eſſe ad manum communem omnibus ſcripturam. Nam vbi de ſenſu intelligentiáque ſcripturæ quęſtio vertitur, déque recipiendis Eccleſiæ traditionibus: iudice aliquo opus eſt præter ipſam ſcripturam. At nullus iudex alius ſe offert, quàm conſenſus & ritus Eccleſiæ, à proceribus piiſque patribus, à multis iam diebus & annis vnanimi conclamatione cõprobatus. Hæc enim eſt anchora ſacra: hic omnium controuerſiarum ſcopus, quem minimè tacuit in præſcriptionibus aduerſus hæreticos Tertullianus. Quo etiam tacente, hoc ipſum lapides clamarent. Sic autem ille habet: Cupio (de hęreticis loquens) oſtendant mihi ex qua authoritate prodierunt. Ædant origines eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem epiſcoporum ſuorum per ſucceſsiones ab initio decurrentẽ. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferũt, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum: id & proinde vtique & cæteræ exhibẽt quos ab Apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiã illicitum eſt? Sed & ſi confinxerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum apoſtolica comparata, ex diuerſitate & contrarietate ſua pronunciabit neque Apoſtoli alicuius authoris

eſſe,

esse, neque apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & apostolici non cõtraria Apostolis ædidissent: nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt.

Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel apostolicis authorem suum proferant, vt multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicæ disputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad vtranque formam nostris ecclesiis prouocatæ, probent se quaquà putanti apostolicas. Sed nec adeò nec sunt, nec possunt probare quòd non sunt: nec recipiuntur in pacem, & in communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diuersitatem sacramenti nullo modo apostolicæ. Et paulò pòst ex eodẽ sequitur: Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ & necessariæ, asper oleaster exoritur: etiam de papauere fici gratissimæ & suauissimæ ventosa & vana caprificus exurgit. Ita & hęreses de nostro fructificauerunt, non nostræ degeneres veritatis grano, & mendacio syluestres. Si hæc ita se habent: vt veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit: constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad eandem de scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt,

Non à Christo habendo, quod de sua electione sectati, hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani, nullum ius capiunt Christianarum literarum: ad quos meritò dicēdum est: Qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? quo deniq; Marcion iure syluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua potestate Apelles limites meos cōmoues? Mea est possesio. Quid hic cęteri ad volūtatē vestrā seminatis, & pascitis? Mea est possesio, olim possideo: prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus quorū fuit res. Ego sum hęres Apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt semper, & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit aut recepit? Illic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propositum aliter docendi, eis necessitas institit aliter disponendi instrumēta doctrinæ. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent hæresim. Hæc ille.

Sed quàm graphicè mores hæreticorum depingat, audiamus, Non omittam (inquit) ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionem, q̃ futilis, quàm terrena, quàm humana sit, sine grauitate, sine authoritate, sine disciplina, vt fidei suę

congruens.

congruẽs. In primis, quis catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiũt, pariter orant: etiam Ethnici ſi ſuperuenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt. Simplicitatem volunt eſſe poſt rationem diſciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque paſsim cum omnibus miſcẽt. Nihil enim intereſt illis, licet diuerſa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicẽtur. Antè ſunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes: nunc neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, q̃ in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaq; alius hodie epiſcopus, cras alius. Hodie diaconus, qui cras lector: hodie preſbyter, qui cras laicus. Nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt. De verbi autem adminiſtratione, quid dicam? cùm hoc ſit negotium illis non Ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi. Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacẽtibus eleuationem operentur: quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione noſtra ſuffodiunt, vt ſua ædificent. Hactenus Tertullianus.

Vides non solùm ex doctrina, verùm etiam ex ritibus hæreticorũ & moribus, in nido proprio, inque opere manuum suarum deprehendi istos impios nebulones, iuxta Psalmistæ vaticinium:

Psal. 9. Cognoscetur dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehẽsus est peccator. Hæc autem omnia cùm negligãtur ab hæreticis, nihil aliud audire à nobis habent, quàm illud euangelicum,

Luc. 16. Lucæ decimosexto: Inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque inde huc transmeare.

Contuso axiomatum tricuspide telo serpentis huius virulenti impurissimo capite, quum nihil aliud habeat in promptu quo & secum & cum veritate constare possit, cauda saltem sinuosa & aculeata seipsum miserè traducens, aut quadantenus erigere, aut si possit effugere contẽdit. Hic ergo compescenda sunt lubricæ huius verbera caudæ. Agnoscit veterator iste, in reliquis tamen inficiator, Ecclesiæ regimen ad finem vsque mundi duraturum per successus rectorum continuos. Negat tamen hanc successionem in prælatis, contrarium ex industria asserentibus ac probantibus Irenæo, Tertulliano, Hieronymo, Augustino, huiusmodi successionem in prælatorum ordinata serie quò ad dogmata constituenda plane cõsistere. (de dogmatibus loquor, non de moribus.) Neq; enim fando auditum est, ꝙ congregatio prælatorum edictum aliquando tulerit pugnãs cum maiorum nostrorum & sanctorum patrum

trum pia intentione, quam ſemper eueſtigio imitari voluerunt. Neq; mores obſtant, quo minus verum ſit verbum illud euangelicũ: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere. Sed prædixit (ait anguis iſte lubricus) diuus Petrus futuros falſos doctores. Verum id quidem, nempe hæreticos Caluinates, quos loquela ipſa manifeſtos facit, & ferocia inaudita prodit eſſe verè Antichriſtianos, vti ſuprà manifeſto indicio probatũ eſt. Nam quod calumnioſe detorquet in prælatos: id ſtare non poſſe vel ex hoc vno conſtat, quòd eadem eſt doctrina prælatorum, & ſacrorum conciliorum, quæ olim fuit ſanctorum patrum. Vel ergo vtranque damnet hæreticus, vel vtranque probet. Priora dogmata damnare non poteſt: noſtra igitur ex ſacrorum doctorum fontibus hauſta probet neceſſe eſt. Alioqui quid petulantius foret & abſurdius, in vno commendare, quod in alio vituperes? Sed audi beſtiam ſua verba reſonantem. Inquirendi ſunt (inquit) ſucceſſores Apoſtolorum in fidelibus dogmatibus conſtituendis. At ego contrà oppono, tortuoſe ſerpens: Si in hoc dubitas: vbi erat Eccleſia, quam nondum inuentam dicis? Et ſi non eſt in cœtu eccleſiaſticorum, quid dices ad Paulum, qui in Eccleſia ſtatuit paſtores & doctores? Vbi igitur inuenietur? nónne in cœtu piorum ac peritorũ potius quàm in cloaca hæreticorum? Super hoc cuiuſvis orthodoxi conſcientiam appello. Immo tu

Matt. 23.

Epheſ. 4.

tibiipſi contrarius, negare non potes Origenem, Irenęum, Auguſtinum conſtituiſſe certitudinem dogmatum in continua prælatorum ſucceſſione, cùm eis quæſtio eſſet aduerſus quoſdam veritatis obſcuratores, ſeu interturbatores, quibus vos hæretici omnes ſucceditis. Paſtores verò & doctores, piorum patrũ dogmatibus mordicus hærent. Id conſtat collatis inuicem priſcorum ac recentiorum voluminibus. Hic nõ vides te teneri medium, téque innodatum reſiliendo actius ſtringi? Auguſtinum ais meritò inſultaſſe aduerſus Donatiſtas ob eorum minimè tolerandam ſuperbiã, qui in ſua ſigna trahebant Eccleſię pondus & authoritatem. Quorum vafritiem depellit Auguſt. ex continua prælatorum ſucceſſione. Sed neſcis, improbe, neſcis mutato Donatiſtarum nomine, hanc de tuis coniuratis hæreticis, non dico fabulam, ſed tragœdiam narrari? Illi tantùm ſe ſeparabãt à reliquis, vobis autem parum viſum eſt id feciſſe, niſi & reliquos etiam (vt eſtis beſtiæ ferociſsimæ, ac immaniſſima mõſtra) ſæuiſſimis probris & conuitiis inſectantes, vel cornibus ventilaretis, vel attereretis dentibus, vel certè pedibus (quod in vobis eſt) conculcaretis. O ſi nunc, Auguſtine beate & benedicte, viueres, vir alioqui mitiſſime ac ſuauiſſime, quem modũ obiurgandi poneres aduerſus hos Caluinates omnibus Donatiſtis peſtilentiores ac petulantiores, ad eorum compeſcendam ferociam ac peruicaciam? Quæ Circuncellionum feritas, quæ Donatiſtarum arrogantia multis gradibus non facilè ceſſerit Caluinicæ

uinicæ huic ſycophantiæ: quæ Eccleſię Antiſtites omnes nullo vel ordinis vel perſonæ delectu pro beſtiis cornutis habet, ſobrios pro ebriis, pios pro impiis, doctores pro inſipidis ac inſulſis, quos Baldos vocat, ſeu Baldinos: qui addere debuiſſet Bartholinos: Cęſareos conſules (quod nemo hæreticorum vnquā fecit) tanti æſtimat, quāti dominus villicū, aut certè ſuarium boariúmve ductorem: quod non longè abeſt à crimine læſæ maieſtatis. Deinde quid nō audet Caluinicus iſte hiſtrio, qui omnibus inſultat, dicteria dicit in omnes? Quoties itaque chorda ſemper oberrans eadem, negas fidei puritatem eſſe penes ea quæ extant Eccleſiæ dogmata, toties audire te exiſtimabis: Vaniſſime, mentiris, nugaris impie, obſcuriſſime nebulo, & Ganeo petulantiſſime. Nugaris, inquam, & impudentiſſimè, noſtros ſcripturę interpretes pro ſui arbitrio capitis ædidiſſe articulos tanquam ex fide, qui non emanarint ex pietate ſcripturæ, ſenſúque ac conſenſu ſanctorum patrum toto ore in eam ſententiam inclinantium: vti plurimis iam exemplis deductum eſt.

Quod autem calūniaris canonem diſtinguentem ſacras ſcripturas à prophanis, tanquam poſterius æditum: ſcire debueras rem fuiſſe ante canonem: ipſum verò poſterius natum, declarare id quod erat ab initio. Non enim ſimul nata eſt authoritas ſcripturæ cum canone poſteriore, quale eſt illud: Sancta Romana. 15. diſtin. Verùm multa poſterius declarātur, quę prius in ſua ſtatione manebant. Proinde meras nugas affers dum ais per

multa annorũ millia præcessisse scripturæ authoritatem conciliorum declarationem. Hoc autem est quod dicimus, receptionem Ecclesiæ, etiam ante canonem scriptum pro lege haberi, sicut & consuetudinem antiquam, aliquando declaratio sequitur. Lex enim scripta sequitur legẽ non scriptam. Neq; enim ita est, quia Canon dixit: sed Canon dixit, quia ita est. Verùm quos tu libros extra Canonem reponis: hos verè esse canonicos iuxta Ecclesię intentionẽ, multis argumentis ad veram amussim cõstitutis, speciali volumine à nobis declaratum est. Quibus respondendum est prius q̃ fidem à nobis contrariam exigere possis.

Hũc post omnia tam ominosa verborũ portẽta in summa cauda bisculũ sibi Caluinus reseruauit aculeũ. Præsules & præsentes, & à multis iã annis præteritos, nihil minus fuisse quàm Petri successores: cùm nec vita (vt ait) & moribus, nec etiam syncera doctrina, Petri personam pręstiterint. De vita, pro me meique similibus nihil habeo quod Psal.105. dicã, nisi illud Psalmistæ: Memento nostri domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo. Peccauimus cũ patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatẽ fecimus. Ideóq; (vt cum Daniele Daniel.3. loquar) omnia quæ induxisti super nos, & vniuersa quę fecisti nobis, in vero iudicio fecisti: nec possumus aperire os. Ne cõfundas nos, sed fac nobiscũ iuxta mansuetudinẽ tuam, & secundũ multitudinem misericordiæ tuæ. Erue nos in mirabilibus tuis. Da gloriam nomini tuo domine: & confundantur omnes qui ostendunt seruis tuis mala.

De

De doctrina verò nostræ ætatis catholicorũ, quæ omnibus nobis communis est: tãtum abest vt aliquid suspicemur sinistri, vt eã incunctanter (rumpantur vt ilia Codro) asseramus pijssimam, integerrimam, apostolicam iuxtà ac catholicã in his quæ ad fidem moresque ex decreto Ecclesiæ pertinent. Quid nisi apostolica dicatur, cùm illa quæ ab Apostolis seu vsu seu scripto ad nos dimanarint, exosculemur, amplectamur, & obuiis (quod dicitur) vlnis excipiamus? Catholica itẽ est, quæ omnium ecclesiarum orthodoxo cõsensu ad hãc vsque nostram peruenit ætatem. Qua in re personam sanctissimi Anachoretæ induimus, qui cùm audiret sæpenumero repetitis vicibus, furcifer, sacrilege, adulter, & innumera alia cõuiciorum genera: in omnibus his erat sicut homo nõ audiens, & nõ habens in ore suo redargutiones. Cùm autẽ audiret, Impie hæretice, ad hoc verbum subsiliẽs restitit. Percunctat⁹ cur ita ageret, ait: Cętera omnia ferre possum præter vnũ diris iã deuotũ hæretici nomẽ. Essem enim vel solo silentio, meo ipsi⁹ iudicio cõdẽnat⁹: id quod nec agnoscere possum nec debeo. Delirat nihilominus damnato iampridẽ execratóque delirio, quisquis persuasum habet, neminẽ ad ecclesiã pertinere, nisi cui præsens adsit Dei opti. max. fauor & gratia. Quis enim nesciat scriptũ esse: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum. Manet igitur frater & filius Ecclesiæ, etiam si sit in peccato, & extra gratiam. Rursum qui ait: Dic Ecclesiæ: quam si nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: supponit Eccle

Psal. 37.

Lucæ. 17.

Matth. 18.

siá posse discerni. At cognosci nō potest, an quis sit in gratia, aut in peccato. Rursum, remissio peccatorū est in ecclesia. Manet igitur in Ecclesia catholica Christian⁹, etiā si sit peccator. Diuus præ-
1.Cor.5. terea Paulus in Corinthiis sic ait: Si quis frater nominatur inter vos, & sit fornicator aut auar⁹, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nolite cibum sumere. Frater ergo est, cùm sit peccator, etiam cōuictus vel confessus, ex declaratione beati Augustini. Quis ergo neget fidelem manere fidelem, & catholicum fratrem, etiam si sit in peccato, & extra gra-
Matth.23. tiā? Quid quod de Phariseis dixit dominus: Quecunque dixerint vobis, facite: secundū opera verò eorum nolite facere. Ius ergo recipiendi habebant in synagoga etiam peccatores gratiæ exper-
Lucæ.22. tes. Sed & de Petro legimus: Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Sequens est vt manens peccator, permanserit tamen Ecclesiæ membrum: de quo scriptum legitur: Oraui pro te Pe-
Ibidem. tre, vt non deficiat fides tua. Mansit ergo in eo fides, etiamsi sine gratia. Illud autem omnium cauillationum nodos resoluit ex Christi domini pa
Matth.13. rabola desumptum: Simile est regnum cœlorum sagene missæ in mare, ex omni genere piscium cōgreganti. Quam, cùm impleta esset, educentes, ac secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserūt. Quo apertè sequitur malos in Ecclesia, bonis esse permixtos, postmodū tamen excludēdos. Manet igitur fidelis in Ecclesia, etiā si sit peccator, & extra gratiam. Ac proinde

de retunditur error Caluini sycophanticus, non admittentis aliam fidem ab ea quã viuam appellat. Quæ in eis nihil aliud est, quàm peruicax, obstinata, ac rabie contradicendi armata persuasio, non solũ mortua, immo vero mortifera, quæ potius furor est, ac etiam manifesta phrenesis. Mansit certè fides sine charitate in eo de quo scriptum legimus: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Erat enim conuiua fidelis, etiã si exut⁹ veste charitatis. Plura de his disseruimus & copiosius in De vtriusque gladij potestate. Quid pluribus opus? cùm Paulus ipse nodũ resoluat, ita de malis ministris inquiẽs: Ministri Christi sunt, & ego. vt minus sapiẽs dico, plus ego. His verbis etiam malis viris ministerium ecclesiæ tribuit, quanuis non ęquo gradu. Hoc ipsum declarant eiusdem verba inquientis: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Quo apparet aliquos ex officio esse dispensatores, etiamsi mali sint. Hic prostrata iacet de ministris Ecclesiæ perperam excogitata Caluinica calumnia. Et ne pluribus agam: vos interrogo Caluinates, qui vobis arrogatis synceræ ac fidelis Ecclesiæ & rẽ & nomen: itáne eritis impudentes, vt vestris omnes parentes mandatis, fide ac gratia iustificatos audeatis profiteri? At nemo illud vobis crediderit vnquam. Nã ex diametro diuersum ex vestris constat operibus. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quòd si modestiã saltem vestram simu-

Mat.22.

1.Cor.11.

1.Cor.4.

Matth.12. & Luc.6.

lantes id negaueritis: vbínam erit ea quam fabricatis ecclesia, quam hactenus vsurpauit Caluinus multorum sibi scelerũ plerúnque cõscius, immo
Tit.3. (si verũ fateri velit) suo ipsius iudicio cõdẽnatus? Oportet enim ipsum agnoscere, non esse apud se Ecclesiam, aut hactenus se fuisse à peccato immunem, si verum est Ecclesiã fundari in gratia. Hic te respondere velim Caluine, vt ex ore tuo ineluctabili argumento condemneris. Æquius multo fuerat & plausibiliꝰ, ingenuè profiteri, in toto catholicorum præsulũ choro multa superesse piorũ
3.Reg.19. ac proborum millia, qui non flexerunt genua co-
& Ro.11. ram Baal, quíque in sua permaneant innocentia,
Prou.24. (etiamsi septies in die cadat iustus: & resurgat) & receptæ à catholicis doctrinæ mordicus hærent: penes quos negare non potes Christianam residere Ecclesiam. At illi, gregis vestri immorigeri fęce contempta, eum quem sequimur cultum, doctrinamque sequuntur, nec à nobis ad latum quidem vnguem in dogmatibus publicè receptis diffident. Quò fit, vt negare salua fronte nequeatis à parte nostra stare Ecclesiam. A qua cum ex professo vos feceritis alienos, quid aliud restat, quàm quòd cedatis arena? De quibus scriptũ est:
Psal.57. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Quod certè futurum nemo (cui cãdidum pectus inest) diffideret, nisi obstaret quod continuò ex eodem Psalmista sequi-
Ibidem. tur: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut Aspidis surdæ, & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & ve-
nefici

nefici incantantis ſapienter. Atqui diſſidentibus atque inuicem pugnantibus ſententiis, alteram alteri cedere neceſſe eſt, ſecluſo omni Interimenſi medio. Neque enim antilogia vtrinque patitur ſtare veritatem: anguſtum eſt ſtratum, ita vt alter decidat. Pallium breue vtrunque operire non poteſt.

Iam igitur illud ſibi ſupereſſe videns calumnioſus Caluinus (vt eſt Diabolico iampridem detẽtus laqueo) probare ac perſuadere (ſi queat) nititur, catholicos noſtros ad omnẽ rei ſacramẽtariæ impegiſſe lapidẽ. Et vt in ſua confuſione ordinis ſpeciem quandam obſeruet, ſuam telam infauſtis auibus orditur à baptiſmo, negans externum baptiſmatis lauacrum ad ſalutem fore neceſſariũ. Sequens eſt, præcipuas ex tota fęce decerptas calumnias, leuibus quibuſdã neglectis quiſquiliis, è medio tollere. Ingenioſus iſte technarũ artifex, trãquillitatis impatiens (vt eſt irrequieto ſemper animo) primum illud molitur arrodere, quòd catholicorum cœtus dixerit & dicat baptiſmi lauacrum eſſe ad ſalutem neceſſarium. Id enim, vt ait, eſſet alligare gratię diuine opus aliquod externũ, & ita obſcuraretur gratia Dei, vt iam deſineret eſſe libera gratia, vtpote nullius egens, nec vlli operi externo alligata. Verùm vt eſt in exquirendis acer & impiger: ita & in conciliandis in ſpeciem diſſidentibus ſententiis pluſquam ſtupidus. Nos nullam in Deo abſolutam neceſſitatem ponimus. De lege abſoluta omnia poteſt, qui facit mirabilia magna ſolꝰ. Pſal. ſeptuageſimo primo.

Necesſitatem tantùm dicimus ex conditione legis poſitæ, quia ſcilicet ita decreuerit, legémque ſtatuerit, vt baptizetur vnuſquiſq; noſtrum, vt in
Act.2. Actis Apoſtolorum legimus, præſertim ſi cætera
Act.8. adſint, ſicut ſcriptum eſt: Ecce aqua: quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si ex
Act. 2. toto corde credis: licet. Et rurſum: Pœnitētiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti. Deus ita voluit & ordinauit, non quia illi neceſſarium ſit ad impartiēdam nobis ſuam gratiam: ſed nobis hoc ad ſalutē eſt neceſſariū, quia ita voluit. Neſcit ſtupidus iſte ſecernere libertatem abſolutam à neceſsitate legis poſitæ conditionata. Quæ ſi nubem opponeret maieſtati diuinæ, Deus ipſe ſuam ipſius obnubilaſſet potentiam, qui ſolus poterat totum orbem illuſtrare, nullo luminarium interuentu. Ait enim:
Gene.1. Fiant luminaria in firmamento cœli, vt luceant, & illuminent terram. Et poſuit ea Deus vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, &
Pſal.135. diuiderent lucem à tenebris. Fecit ergo ſolem in poteſtatem diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis. Vnde dicimus, ad hoc vt nobis oriatur dies, aduentum Solis ad noſtrum hemiſphærium eſſe neceſſarium. Sed hoc eſt (inquit ſtolidus iſte) diuinam obſcurare aut potentiam, aut miſericordiam, quando illi alligatur res aliqua externa. Primùm nō alligatur. Sed quid ſi ita ſtatuerit, vt medio baptiſmo ſanctificemur, quēadmodum mediante Sole illuminamur? Nónne (inquit ipſe) oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?

Nónne

Nónne possum facere quæ volo, de rebus meis? Nó facio tibi iniuriam hæretice: tolle quod tuum est, tibi inquã reseruatos cruciatus sempiternos. Vade, & da locum sanctis. Nemo negare posit, quod Paulo suggerente legimus: Secundum misericordiam suam saluos nos fecit Christus Dominus, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abũdè. Nam & ipse Paulus ab Anania baptizatus est: de quo legitur, Ingredere ciuitatem, & tibi dicetur quid te oporteat facere. Oportebat igitur Paulũ baptizari ab Anania: neque illa necessitas in aliquo obscurabat misericordiam diuinã. Sicut necessitas erat vt euangelizarentur ad quos missi sunt qui euangelizarent: ita necessitas fuit vt baptizarentur ij ad quos missi sunt Apostoli vt baptizarent, suppeditãte materia. Hæc autem baptizandi vtrinq; necessitas tam actiua quàm passiua, non obscurat, sed illustrat diuinam misericordiã. Hic quid caliginis excogitare potest Caluini cæca mens & conscientia? Obscuritas non in re ipsa est, verùm in excæcata ipsius mente: veluti si orbus vtróque lumine, diffiteatur aliquam esse aut in sole lucem, aut in rebus colorem, quòd nec illã nec hunc possit intueri. Vicissim illi obiiciendum erit: Profer oculos tuos, oculos inquam defæcatos, quibus ista dispicere possis: & tibi iubar Solis ostendã, & eum quem tuorum scelerum nox abstulit atra colorem. Porrò tãtum abest vt hæc adiunctio Baptismi ad diuinam gratiam, aut cõfessionis satisfactionísve ad iustificationem, diuinã

Matt. 20.

Ad Tit. 3.

Act. 9.

gratiam obſcuret, vt eam potiùs multis partibus illuſtret atque glorificet. Duplici enim nomine gratiæ agendæ illi ſumus obnoxij, & quòd nobis eam impartitus ſit, & quòd per eam tãquam cauſam aliquam nobis acquirẽdam ſalutem ſanxerit: vti de Sole, Luna, & ſtellis nuper diximus, quorũ interuentu illuminamur.

Vt autem de ſatisfactione loquar: nihil aliud eſt ſatisfacere, quàm peccata ſua bonis operibus redimere. Tu verò omnium bipedum inſulſiſſimè, túne dicere audebis Danielem obſcuraſſe gratiã
Daniel. 4. Dei, cũ aiebat: Peccata tua eleemoſynis redime? Hoc enim eſt ſatisfacere, non ex æqualitate rei ad rem, vt falſo interpretaris, ſed vti Catholici volunt, quaſi per apocham vel acceptilationem. Ita enim legimus ſatisfeciſſe Achab. 3. Reg. cap. 21. Itaque cum audiſſet ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliã Thesbiten dicens: Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa: non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filij ſui inferam malum domui eius. Hic vides quomodo Achab deo ſatisfecerit, irã eius temperando, ſua quadantenus peccata redimẽs. Sic ergo neque baptizandi neceſsitas, neque confeſſionis aut ſatisfactionis ſanctiſsimè inſtituta remedia obſcurant Dei gratiam, vt nec accedens diei Solis iubar diuinam potentiam obnubilat. Sed ſicut ad tribulos aſini, ſic ad nebulas nebulones ſem-

nes ſemper ſua ſomnia vertunt. Sinamus ergo illos: cæci enim ſunt,& duces cæcorum.

Quòd autem ſubſannas veluti rem ridiculam ac ſuperſtitioſam cæremonias quæ Baptiſmi lauacrum & præeunt & ſequũtur, quas omnes explodendas cenſes ad vnam, veluti fictitia hominum commenta recèns inuenta ac neoterica: vt mendacij conuincaris apertiſsimi,in primis præfabor Diui Irenæi,ætati Apoſtolorum attigui, qua manifeſtæ vanitatis arguaris ſentẽtiam. Ea eſt huiuſmodi aduerſus hæreſes libro tertio capite tertio. Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarũ enumerare ſucceſſiones,maximæ & antiquiſsimæ & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem,& annunciatam hominibus fidem,per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes: confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potẽtiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles,in qua ſemper ab his qui ſunt vndique conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.Fundantes igitur & inſtruentes Beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderũt. Huius Lini Paulus in his quæ ſunt ad Timotheum Epiſtolis meminit. Suc- 2.Tim. 4.

cedit autem ei Anacletus: poſt eũ tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & vidit ipſos Apoſtolos, & cõtulit cùm eis, & cum adhuc inſonãtem prædicationem Apoſtolorum & traditionem ante oculos haberet. Non ſolus enim, adhuc multi ſupererant tunc ab Apoſtolis docti. Et paucis interiectis ſequitur: Huic autem Clementi ſuccedit Euariſtus, & Euariſto Alexãder. Ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus. Et ab hoc Teleſphorus, qui etiam glorioſiſsimè. Ac deinceps Higinius. Pòſt, Pius. Poſt quem Anicetus. Cùm autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter: nunc duodecimo loco epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius. Hac ordinatione & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio & veritatis præcognitio peruenit vſque ad nos. Et eſt pleniſsima hæc oſtenſio, vnam & eandem viuificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis vſque nunc ſit cõſeruata & tradita in veritate. Et Polycarpus autem non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & conuerſatus cum multis ex eis qui dominum noſtrum viderũt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea quæ eſt Smyrnis Eccleſia, conſtitutus Epiſcopus: quem & nos vidimus in prima noſtra ætate. Multum enim perſeuerauerat, & valde ſenex glorioſiſsimè & nobiliſsimè martyrium faciens, exiuit de hac vita. Hic docuit ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera. Et teſtimonium his perhibẽt, quæ ſunt in Aſia Eccleſiæ omnes, & qui vſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo:

qui vir

qui vir multo maioris authoritatis testis, & fidelioris veritatis est testis, quàm Valẽtinus & Marcion, & reliqui qui sunt peruersæ sententiæ. Hæc Irenæus. Iam restat ostendere, ab his Ecclesiæ orthodoxæ colũnis ritus quos pro ridiculis habes, ab Apostolis ad eos, & ab eis ad nos tandẽ deuenisse. Quos si cõtempseris, nihil aliud tibi superesse puta, quàm flagra, & catenas, & quæ te dira manent pro tanto crimine supplicia.

Chrismatis vsum ante sua tempora ab Apostolis receptũ apertissimo, sermone Fabianus Papa & martyr manifestè prodit his verbis, non tanquam à se excogitatum aut inuentum, sed tanquã longi temporis acta referẽs. Sic autem ait: In cœna Dominus Iesus, postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperũt, nobísque reliquerunt) chrisma conficere docuit. Ipsa enim lauatio pedum, nostrum significat baptismum, quãdo sancti chrismatis vnctione perficitur & confirmatur. Sicut igitur ipsius diei solẽnitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti chrismatis cõfectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouãda, & vetus chrisma in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus, vobísque tenenda mandamus. Hæc ille.

Non est ergo nouum inuẽtum chrismatis vsus. Quod etiam apertius declarabitur cum de sacramento confirmationis agetur.

Alexander primus, vnus est ex duodecim quos

pro columnis Ecclesiæ habet Irenæus, qui edidit canonẽ de vi & energia aquæ benedictæ. (Quam tamen tu tuique omnes luto blaſphemiarum veſtrarum contaminatis) vt eſt in cap. Aquam ſale conſperſam, de cõſecratione diſtinctione tertia. Si igitur Alexandri recepta à tota Eccleſia authoritate, ſal aquæ inſperſum, pro amuleto habetur aduerſus diabolicas inſidias: cur non etiam eadẽ authoritate ſalis vſus commendabitur in præludentibus baptiſmum cæremoniis? Sed quid pluribus opus? Authorem Eccleſiaſticæ hierarchiæ Dionyſium Areopagitam eſſe, ſuo loco probauimus: quo tamẽ authore in ipſa hierarchia ea omnia quæ baptiſmum circũſtant, ſacramentalia extremum numerantur ad aſſem. Habent etiam catholici his planè conſentientem Tertullianum, qui floruit à Chriſto paſſo poſt primum ſeculum ſexageſimo, qui aduerſus Marcionem lib. primo ſic ait: Qui crucifixus eſt, Chriſtus, vſq; nunc nec aquam reprobauit creatoris qua ſuos abluit, nec oleum quo ſuos vngit, nec mellis & lactis ſocietatẽ qua ſuos infantat. Hæc ille. Vides olei vſum à Chriſto paſſo ad vſque tẽpora Tertulliani in adminiſtrandis ſacris à catholicis fuiſſe receptum. Huic torrẽti nemo eſt qui ſe opponere poſsit, qui modò velit & dici & haberi catholicus.

Porrò earum de quibus quereris cæremoniarum, anxiè rationem exquirere, ſtupidi ac malè feriati hominis eſſe, Tertullianus ipſe perſpicuè oſtendit, qui in Corona militis ſic ait: Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules

ſtules ſcripturarũ, nullam inuenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo cõfirmatrix, & fides obſeruatrix. Conſuetudo enim pro lege ſuſcipitur cum deficit lex, nec differt an ſcriptura, an ratione conſiſtat. Hæc ille. Quare nihil aliud expectare poſsis à catholicis, quàm quòd Vincẽtius Lirinenſis vita & eruditione clariſsimus, tibi tuíque ſimilibus obtrudit his verbis: Multum intereſt inter pueritiæ florem, & ſenectutis maturitatem: ſed iidem ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes: vt quanuis vnius eiuſdémque hominis ſtatus habitúſque mutetur, vna tamen nihilominus, eadémque natura, vna eadémq; perſona ſit. Parua lactentium membra, magna iuuenum, eadem ipſa ſunt: tamen quot paruulorum artus, tot virorum: & ſiqua illa ſunt quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in ſeminis ratione proſerta ſunt, vt nihil nouum proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam antè latitauerit. Vnde non dubium eſt hanc eſſe legitimã & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum creſcendi ordinẽ, ſi eas ſemper in grandioribus partes ac formas numer⁹ detexat ætatis, quas in paruulis creatoris ſapientia præformauerat. Quòd ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur: neceſſe eſt vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiã Chriſtianæ Religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges, vt annis ſcilicet conſolidetur, di-

latetur tempore, ſublimetur ætate: incorruptum tamen illibatúmque permaneat, & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctíſque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum atque perfectũ ſit: quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam definitionis ſuſtineat varietatem. Exempli gratia: Seuerunt maiores noſtri antiquitus in hac Eccleſiaſtica ſegete, triticeæ fidei ſemina: iniquum valde & incongruum eſt, vt nos eorum poſteri pro germana veritate frumenti, ſubdititium zizaniæ eligamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & conſequens eſt, vt primis atque extremis ſibimet non diſcrepantibus, de inorementis triticeæ inſtitutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: vt cùm aliquid ex illis ſeminum primordiis, acceſſu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur: nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licet ſpecies, forma, diſtinctio, eadem tamen cuiuſque generis natura permaneat. Abſit etenim, vt roſea illa catholici ſenſus plantaria, in carduos ſpináſque vertantur. Abſit inquam, vt in iſto ſpiritali paradiſo, de cinnamomi & balſami ſurculis, lolium repente, atque aconita proueniant. Quodcunque igitur in hac Eccleſia Dei agricultura, fide patrum ſatum eſt: hoc idem filiorum induſtria decet excolatur & obſeruetur. Hoc idem flore ætate matureſcat: hoc idem proficiat & perficiatur. Hæc ille.

Vides nihil mirum eſſe ſi ocyus aut ſerius aliæ

aliis

aliis ceremoniæ aut acceſſerint aut ſucceſſerint, quas tamen temerè immutare, piaculum ſit nullatenus tolerandum. id quod idem author perſpicuè demonſtrat,ita inquiens: fas eſt etenim vt priſca illa cœleſtis philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur: ſed nefas eſt vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem: ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam ſi ſemel admiſſa fuerit hæc impiæ fraudis licentia: horreo dicere quantum excindendæ atque abolendæ Religionis periculum conſequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia & alia iam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem ſingulatim partibus repudiatis: quid aliud ad extremum ſequetur, niſi vt totum pariter repudient? Sed & econtrà ſi nouitia veteribus, extranea domeſticis, & prophana ſacratis admiſceri cœperint, proſerpat hic mos in vniuerſum neceſſe eſt: vt nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, ſed ſit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, vbi erat antea caſtæ & incorruptæ ſacrarium veritatis. Sed auertat hoc à ſuorum mentibus nefas diuina pietas, ſitque hic potiùs impiorum furor: Chriſti verò Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos. Nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, ni-

hil addit, non amputat necessaria, non adponit superflua, non amittit sua, non vsurpat aliena, sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapientérque tractando, siqua illa sunt antiquitus informata, & inchoata, accuret & poliat: siqua iam expressa & enucleata, consolidet, firmet: siqua iam confirmata & definita, custodiat. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem post ea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur? quòd antea securius colebatur, hoc idem postea solicitius excoleretur? Hoc inquam semper, neque quicquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius à maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret: magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerúnque propter intelligentiæ lucem, non nouæ fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando. Hactenus Lirinensis.

Hanc nos persuasionem sequentes, ducem habemus Irenæum, ita de catholicis loquentem libro tertio capite quarto. Quòd si aliquis eis annunciauerit ea quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio eorum sermone colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.

Sic

Sic per illam veterem Apoſtolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcunque eorum portentiloquium. Neq; enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta. Ante Valentinum enim non fuerũt Valentiniani, neque ante Marcionem Marcionitæ. Ita certè nec ante Lutherum Lutherani in Germania, nec ante Caluinum Caluinates in Gallia, aut certè in Caluinico antro ab orthodoxa Gallia lógè diſſito.

Sed nos (inquiunt) verè ſumus euangelici, atq; etiam orthodoxi. Sed vobis in hac parte contradicit Irenæus lib. 4. capite 43. ita inquiens: Eis qui ſunt in Eccleſia preſbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtédimus, qui cùm epiſcopatus ſucceſsione chariſma veritatis certum ſecundum placitum patris acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hęreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes: aut rurſus vt hypocritas, quæſtus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidunt à veritate. Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id eſt, alienas doctrinas, à cœleſti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abiu. Qui verò exurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur aduerſus Eccleſiam Dei: remanent apud inferos, voragine terræ abſorpti, quemadmodum qui circa Core, Dathan, & Abiron. Qui autem ſcindunt & ſeparant

Leuit. 10.

Num. 16.

3.Reg.14. & 15. vnitatem Ecclesiæ, eandem quam Ieroboam pœnam percipiunt à Deo.

Quòd autem euangelico nomine gloriantur, hanc vanitatem retũdit idem Irenæus, ita dicens: Reliqui omnes falso scientiæ nomine inflati, scripturas quidem confitentur, interpretationes verò conuertunt, aut (vt apertius dicatur) euertunt. A corrupta igitur euangelij interpretatione, rectius dixeris Caluinates pseudeuangelicos, quàm vel orthodoxos, vel euangelicos: cùm nihil aliud exponendo proferant, quàm vertiginosi sui capitis portentosas adinuentiones.

Recipit sancta Ecclesia non solùm sacramenta, immo & ea quæ sacramentalia vocat, tametsi non eodem gradu dignitatis & efficaciæ, tanquam tamen ad nos ab Apostolis per manus deducta: vti de vsu chrismatis, & aliis compluribus, ex priscorũ authorum scriptis deductum est. In his itaque irroborantis Ecclesiæ primæuæ consuetudinibus ac ceremoniis anxiè disquirere rationem: superbia tantùm est. Dicam tamen ex superabundanti: nihil refert, an signo quis erudiatur, an verbo, vbi signa pro verbis habentur. Iam itaque candida vestis, innocentiam baptismo quæsitam apertè indicat.

Funalis autem cereus, obscurus primùm, deinde lumine accensus, pro verbis Pauli habetur, quasi baptizatus à suo susceptore erudiendus audiat: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux (Ephes.5.) in domino. Et rursum: Nox præcessit, dies au- (Rom.13.) tem appropinquauit. Sicut in die, honestè ambulemus.

lemus. Immo & hoc ipſum ſignificat, quod Chriſtus ait: Sint lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis: vt quum venerit, & pulſauerit, aperiant ei. Quærenti itaque hæretico, quid iſthæc ſigna conferant, viciſſim illi oppono: Quid conferunt euangelica verba? At iſta ſigna habentur pro verbis. Nam ſicut verbis pro rebus: ita & rebus pro verbis vtimur. Luc.12.

Proinde obmuteſce hæretice, & noli epinicium canere ante tubas. Quis prohibere poteſt pro verbis nutibus vti? Hæc omnia admirari debes potius quàm ridere, ſimia Caluinica.

Nec contemnenda eſt ſalis & aquæ benedictio, quum ſciamus ſcriptum eſſe: Sanctificatur creatura per verbum Dei, & orationem. Túne aſpernaberis Paulum hæc dicentem, petulantiſſime Caluine? Non pudeat eũ imitari, quem iſthæc nobis inculcare minimè puduit. Ne igitur hiſtrio vltra ſimiam, ne chironomus vltra globulos, néve ſutor vltra crepidam. 1.Tim.4.

Saliua autem in crucis modum auribus immiſſa, tibi nequaquam diſplicere debet: minus autem crucis ſignum: cuius vis & energia tantopere celebratur à piis omnibus, maximè à Septimio Tertulliano, & ante eum Irenæo, immo ab Andrea apoſtolo, reliquiſque omnibus. Hinc de Iudæo quodam cruce ſignato exiit prouerbium: Vas vacuum, ſed ſignatum. Docetur igitur baptizatus Chriſtianam haurire ſaliuam, iuxta illud:

Psal.17. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi:in auditu auris obediuit mihi. Tandémque illud dicere
Isaiæ 50. possit, cùm fuerit ætate prouectior: Dominus meus aperuit mihi aurem, ego autem non cōtradico:retrorsum non abij. Neque enim aliud præ-
Marc.7. ferunt verba quæ illic dicuntur, hypatah, quod est adaperire. Optat igitur baptizans baptizato verbum veritatis in auribus, & odorem boni exempli in naribus, dum ait: Sint tibi hæc in odorem suauitatis. Nihil hic ridendum videre aut au-
Tit.1. dire potest pia mens hominis orthodoxi. Omnia munda mundis, sacrilegis verò & contaminatis
Eccli.34. sordida cuncta videntur, sicut scriptum est: Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? Risit aliquando & irrisit mimus Genesius baptismum: qui statim & in momento
Psal.76. in melius mutata mente (vt est mutatio dexteræ excelsi) tātum abfuit vt rideret, vt etiam pro eius dignitate tuenda morti vltro se offerret, & gladio ceruicem supponeret. Quicunq; igitur isthęc aut spernit, aut subsannat: seipsum potius q̃ quemuis alium subsannādum traducit. Scriptum enim est:
Psal.68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Obscurētur oculi eorum, ne videant: & dorsum eorū semper incurua. Ego verò (quod ad me attinet) non video qua ratiōe te excusare possim, nisi q; velut alter Balaā, precio numerato cōductus es ad maledicendum potius q̃ ad iusto pręlio concertandū. Alioqui esses tanq̃ trūcus iners, & inutilis arbor. Tu autem vide quid agas. non semper erunt feriæ.

Quam

Quam tu rides candidam vestem statim à baptismo impositam, honoratior te multis & partibus & gradibus, magnis laudibus commendat Fortunatus, hoc carmine:

Rex sacer ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cùm puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Vnde & toto orbe Christiano hebdomas tota paschalis, ab albis baptizatorum vestibus, Septimana in albis appellatur. Qua de re Burchardus Vuormaciensis in sacramẽtis Ecclesiæ sic habet: In illo officio primùm paganus catechumenus fit, accedẽs ad baptismum, vt renunciet maligno spiritui, & omnibus damnosis eius pompis. Exufflatur etiam, vt fugato diabolo, CHRISTO domino nostro paretur introitus. Exorcizatur (id est coniuratur) malignus spiritus, vt exeat & recedat, dans locum vero Deo. Accipit Catechumenus sal, vt putrida & fluxa eius peccata, sapientiæ sale diuino munere mundentur. Deinde symboli apostolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo. Tũ fiunt scrutinia, vt exploretur certius, an post renunciationem Satanæ sacra verba datæ fidei radicitus corde defixerit. Tanguntur & nares, vt quandiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret.

Pectus quoque eodem perungitur oleo, vt signo sanctę crucis, diabolo claudatur ingressus. Signátur & scapule, vt vndique muniatur. Item in pectoris & scapulę vnctione signatur fidei firmitas, & operũ bonorũ perseuerantia. Et sic in nomine sanctæ Trinitatis qui creatus est, ad eandem renouatur imaginẽ: & qui tertio gradu peccati, id est consensu cecidit in mortem, tertio eleuatur à fonte, per gratiam surgit ad vitam. Tum albis induitur vestimẽtis propter gaudium regenerationis, ad castitatẽ vitæ, & angelici splendoris decorem. Tum sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine: vt intelligat se diadema regni, sacerdotij dignitatem portare, iuxta Apostolum, Vos estis genus regale & sacerdotale, offerentes vosmetipsos Deo viuo hostiam sanctam, & Deo placentem. Sic corpore & sanguine domini confirmatur, vt illius sit capitis membrum, qui pro nobis passus est, & resurrexit.

1.Petri.2. Roma.12

Nouissimè, per impositionem manus à summo sacerdote, septiformis gratiæ spiritum accipit: vt roboretur per spiritum sanctum, ad prædicãdum aliis, qui fuit in Baptismo per gratiam vitæ donatus æternę. Quin & Hieronymus author est, cõtestationem fieri solitam diabolo versa ad occidẽtem fronte: vbi ter insufflatur Satanas, & abrenũciatio ex professo declaratur. Quo signo obscuræ militiæ consortia exufflantur. Plura cernere est in Dionysio Areopagita, & in prisco illo authore Tertulliano, lib. De corona militis. Ex quib⁹ omnibus retũditur impudẽtia tua, Caluine, qui omnia

nia pro ridiculis habes, quæ priscæ fidei cultores hierarchæ summis laudibus extulerunt, & posteritatis memoriæ commendarunt.

Te verò tua, quantum vix cuiquam credibile fuerit, fefellit incogitantia, & temeritas: dum vim scripturæ atrocissimam inferens, verba Pauli detorques in nunquam anteà fando auditum errorem. Nouum enim dogma nobis obtrudens, [fidelium prolem etiam ante diem natalis sui esse sanctificatam per adoptionem ad vitã æternam] asseris impudenter. Quod si de prædestinatione intelligas, id planè falsum est. Neq; enim omnes sunt prædestinati. Si verò de præsenti gratia, id quoque erroneũ est: aliâs nullum esset peccatum originale, cùm tamen omnes nascantur filij iræ. Sed errorẽ errori adiungẽs, audes illud adiũgere:

Caluinus.

Refutatio

Ephe. 2.

[Quicunque admittit ad baptismum extraneos, ipsum prophanat.]

Caluinus.

Mentiris os impudens, cũ scriptum sit: Ite in mũdum vniuersum, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Omnes ergo admittere ad Baptismum, (modò se non reddant indignos) tam sanctum & iustum est, vt nihil audiri possit iustius. Nec prophanat infidelis Baptismũ, quin potius Baptism⁹ sanctificat infidelẽ. Quid, quod de beato Genesio legimus: quòd cum ludibundus ac fictione histrionica se baptizandum offerret, statim recepto Baptismatis charactere, inspirãte numine mutatus est in virum alterum: adeò vt euestigio conuersus, per mutationẽ dexteræ excelsi, pro Baptismo tuendo seipsum morti

Refutatio
Matth. 28
Mar. 16.

Psal. 76.

Caluinus. obtulerit? Tu verò teipsum inuoluis, dum ais gra-
Refutatio tiam adoptionis præcedere Baptismum. Nam si de præuisione tantùm loquaris, quæ ab æterno in Deo est, non est illa quæ iustificat. Si verò intelligas de iustificante gratia, vanissimè mẽtiris: cùm illa in paruulis non nisi cum Baptismo infundatur: nec deletur originale nisi per Baptismum. Secus in adultis, qui Baptismo etiam flaminis sanctificari possunt, id asseuerante diuo Paulo, qui
Ad Tit. 3. ait: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.

Sed vnde tibi tam stupida ac elumbis errandi occasio, nempe quòd Paulus dicat in Corinthiorum priore. 7. Alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt? Quasi verò eoipso san-
Caluinus. ctificentur etiam (vt ais) priusquam nascantur, per spiritum adoptionis, dum præuidet diuina sapientia liberos ex parẽtibus Christianis procreã-
Refutatio dos. Sed hîc tam longè abes à scopo, quantum summus polus ab imo. Neque enim eò spectant verba Pauli. Nam de pari sanctificatione agitur
1. Cor. 7. cùm dicitur: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & vxor infidelis per virum fidelem: non quidem adoptantem, sed ad meliora vota inuitantem. Sic & filij sanctificantur, dum pars fidelis impetrat ab infideli vt tandem filius sacris imbuatur. Quod maximè sperandum est cum pars infidelis non aspernatur coniugis religiosæ pios & sacros ritus. Et huc tendit interpretatio beati Chrysostomi. Sed luculẽtius rem totam ob oculos ponit Augustinus, hunc locum sua expo-

sitione

ſitione dilucidans, libro ad Marcellinum tertio, dum ſic loquitur ad verbum: Non opinor, quòd quiſquam tam infideliter intelligit, vt ob hoc exiſtimet maritum non Chriſtianum ideo eſſe Chriſtianum, quia vxor eius fuerit Chriſtiana: Neque iam baptizari oportere, & ad peccatorum remiſſionem perueniſſe, & in regnum cœlorũ eſſe intraturum, quia ſanctificatus dictus eſt in vxore. Idem in libro de baptiſmo paruulorũ ſic ait: Ac per hoc & illa ſanctificatio cuiuſcunque modi, quam in filiis fidelium eſſe dixit Apoſtolus: ad iſtam de baptiſmo, & de peccati origine vel remiſſione quæſtionem omnino non pertinet. Nã & coniuges infideles in coniugibus fidelibus ſanctificari dicit eo ipſo loco, ita loquens: Sanctificatur enim vir infidelis in vxore, & ſanctificatur mulier infidelis in fratre. Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.

Adiungam & illud ex eodem ad Marcellinum: Illud ſine dubitatione tenendum eſt, quæcunque illa ſanctificatio ſit, non valere ad Chriſtianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, niſi Chriſtiani & eccleſiaſtici ſuſceptione ſacramenti efficiantur fideles. Nam nec coniuges infideles, quantumlibet ſanctis & iuſtis coniugibus adhæreant, ab iniquitate mundantur: quæ à regno Dei ſeparatos, in damnationem venire compellit. Nec paruuli de quibuſlibet ſanctis iuſtiſq́; procreati, originalis peccati reatu abſoluuntur, niſi in Chriſto fuerint baptizati. Pro quibus tanto impenſius loqui debemus, quanto pro

ſeipſis minus poſſunt. Hæc Auguſtinus. Hinc animaduerte quàm longè ſis à ſcopo, qui ais, infantes fidelium à ſuo natali eſſe ſanctos vel ex hoc vno, quòd antequam naſcantur, ſint adoptati ad vitam æternam. Hoc enim multis verbis Auguſtin⁹ refutat, & nulla id ratione admitti poſſe docuimus: præſertim vbi negas aliam eſſe rationem recipiendi liberos fidelium, niſi quòd antea pertinebant ad corpus Chriſti: & qui extraneos admittit, baptiſmum prophanat. Cætera abſurdiſſima piget recēſere. Veriora autem veris pronuncias, cùm ais errorem vnum ex alio oriri. Sed id quidē de te tuíſque Caluinatibus intelligendum res ipſa indicat.

Caluinus. Neque id ſplendidiſſimo mēdacio caret, quòd ais [nos ſine authore loqui in his vſibus conſtituēdis, & obſeruandis.]

Refutatio Quandoquidem pro conſecratione Chriſmatis, non multo poſt Apoſtolos tempore certiſſima prodierunt teſtimonia aſſeuerantia ab apoſtolis ritū conſecrationis huius prodiiſſe. Extat diui Fabiani martyris epiſtola, à Petro deciminoni pōtificis, aſſerētis prædeceſſores ſuos à ſanctis Apoſtolis accepiſſe, ac poſteritati reliquiſſe modum conficiendi Chriſmatis. Ea eſt ordine ſecunda. Iſta (inquit) à ſanctis Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum accepimus, vobiſque tenenda mandamus. Illud aſſerens, baptiſmum ſancti Chriſmatis vnctione perfici: non quidem de neceſſitate ſacramenti, ſed tantùm ad ritum ſacramentalem. Vaſorum linteorúmque conſecrationes obſeruandas tradidit Soter, à Petro vndecimus

decimus, ad episcopos Italiæ scribens, Apostolicarum traditionum conscius. Pius Papa primus, à Petro nonus, Romanæ ac catholicæ præsul ecclesiæ, sacrilegos decernit eos, qui audent vasa ac supellectilia sacrata in suos vsus conuertere. Sixtus papa hoc ipsum sua constitutione probauit, qui ante Telesphorum floruit. Et audet impius iste prophanúsque nebulo, pro ridiculis habere omnes rerum sacratiorum consecrationes. Qui si venerandæ antiquitatis rationem perlustrasset: multo pudore suffusus, ori suo digitum imponeret. Quid autem facias ei, qui cùm nihil sciat, omnia præcipit, in eodem & gradu & numero habens & quæ legit, & quæ non legit? Sed rectè de eo, eiusque similibus, diuus Maxentius scripsisse legitur. Nunquam (ait ille) inducit obedientiam, opinione vallata superbia. Nil nisi rixam ex religione captat, propria colligit, externa negligit. Vna cura est, velle imperare, non cedere. Cõtemptrix est authoritatum veterum, nouarum cupida quæstionum. Solam existimat rectam viam, conceptam ex priuato ingenio sententiam.

Ecce tibi pie lector, à capite ad pedes suis coloribus depictam Caluinicam sycophãtiam. Sed alia supersunt è via tollenda offendicula. Hæc interim ad depellendas circa Baptismum emergentes calumnias dixisse sufficiat. Nunc ad confirmationis sacramentum tutandum, stylum vertere conuenit.

De confirmationis ſacramento.

SAcramentum conſignationis in fronte, confirmationis geſtorum in Baptiſmate, receptionis donorum ſpiritusſancti, pro eodem habetur à catholicis. Illud dente (quo cætera ſolet) canino Caluinus ſic arrodit, diſſecat, lacerat, obiurgãdo diſcerpit: vt mirum ſit vnde ſartago hæc tã odioſa loquendi, illi venerit in linguam. Atqui aut ſcire, aut ingenuè profiteri debuerat, præter latam quam habet ſignificationem vocabulum impoſitionis manuum, modò ad ægrotos relatam, ibi: Super ægros manus imponent: modò vero ad ordinem presbyterij, (cuius Paulus meminit, contractiùs tamen) referri ad frontis conſignationẽ: quam quidem nobis tradiderunt Apoſtolorum ſucceſſores, tanquam ab Apoſtolis receptam. At nemo tam præfractus fuerit, támque impiè peruicax, vt dicere auſit tam arrogantes fuiſſe Apoſtolos, vt priuato ſuo inuento priſcis illá patribus tradidiſſent, ſed potius ex diuina inſtitutione eis exhibitam, ſuis coętaneis, ad nos deducendam curaſſent. Aut igitur temeritatis arguat Caluinus Apoſtolos, (ſi tamen audebit) aut nobiſcũ fateatur, ex CHRISTI conſtitutione iſtud prodiiſſe ſacramentum. Teſtimonium diuinę erga nos charitatis, nullum aliud requirimus, quàm quod ſuis Apoſtolis tradere dignatus ſit, id quod ad nos per manus peruênit. Nec alium deſideramus characterẽ, quàm Apoſtolorum per priſcos

Mar.16.

1.Tim.4.

patres ad nos deuolutam traditionem. Interim nugaris impie & blaſpheme, impoſtor impudentiſſime, quòd [velimus claudi oleata pyxide Spiritum ſanctum.] Sed is eſt mos linguæ tuæ virulentę, vt ſcurrilia quæ tibi veniunt in buccam, nullo diſcrimine incunctanter euomas. Nam Chriſmatis vnctionem, frontiſque conſignationẽ, ab Apoſtolis fuiſſe receptam, certiſſima ſcripta teſtantur: è quibus illud vnum eſt, quod ſuprà citauimus, Fabiani Papæ, & martyris. Sed & Tertullian⁹ huiuſmodi confirmationis vſum ante ſua etiam priſca tempora paſſim fuiſſe receptum, apertiſſimè demonſtrat. His itaque fundamentis innixi, Apoſtolicę inquã traditionis: hauſimus aquas de fontibus ſaluatoris: quas luto ſuæ impietatis conſpergere nititur Caluinus: vt neque illud deſit ad ſuã ipſius condemnationem, quod ex Ezechiele legitur: Quod pedes veſtri turbauerant, id oues meæ bibebant. Cùm igitur iam docuerimus non eſſe inuenti humani, ſed diuini ab initio inſtituti, confirmationem, argumento deducente ad inconueniens, piorum auribus minime tolerandum: nihil ſupereſt nobis catholicis, niſi quaſdam eius ſcurriles calumnias flatibus exponendas ventilare. Nam de Chriſmatis vſu & traditione iam diximus. De donis itaque Spiritus ſancti, neſciens quid loquatur, neque de quibus enunciet, [ex nouella Bibliorum æditione contendit ſex tantùm ex Iſaia colligi dona Spiritus ſancti] cùm illic non exprimatur donum pietatis, prout in ędítione noſtra legimus.

Caluinus. Refutatio. Iſaiæ.12. Ezech.34. Caluinus. Refutatio

Qui ſi non vreretur libidine contradicendi, ſtatim intellexiſſet geminum (vt minimum ſequamur) ex ſcripturis elici timoré domini. Eſt enim
Pſal.110. timor, de quo ſcriptum eſt: Initium ſapientiæ timor domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum, ſcilicet timorem: quo auocamur à circunſtante peccandi occaſione. De quo etiam ſcri
Eccle.1. ptum eſt: Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtifi
Ibidem. 2 cari. Et rurſum: Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore. In Eccleſiaſtico Ieſus filius Sirach plurimus eſt in deſcribendo illo timore.

Eſt nihilominus timor alius, ad cultum diuinum pertinens, qui & pietas in deum vocatur: vnde pij dicũtur catholici, Dei cultores. Et timere dicimus, Deum piè colere, ſeu adorare. Scri
Matth.4. ptum enim eſt: Dominum Deum tuum timebis, ſeu adorabis: & illi ſoli ſeruies, ſeu coles, cultu inquam latriæ, ſoli Deo debito. Nam & diuos ve
Ioan.12. nerari non vetat, qui ait: Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus. Qua etiam ve
Danie.10 neratione vſum Danielem legimus, ſed cultu ſub Deo inferiore. Vtrunque timorem, pietatis ſcilicet, & eius qui dicitur initium ſapientiæ, expreſſe annotauit noſtra æditio, quam Hebraica vno verbo concluſit. Hunc meritò quis dixerit timorem obedientiæ, ſeu promptitudinem parendi diui
Ioan.14. nis mandatis: quem etiam in ſe Chriſtus agno
Ibidem. 8 ſcit, dum ait: Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. Et rurſum: Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

De dono pietatis quid attinet dicere, quæ in

ſtum

Meſſia futura prædicitur, cùm legamus Chriſtum dominum poſitis genibus & diu & frequenter oraſſe?

Sed illud etiam mordet, quòd ſeptem tantùm recenſeantur dona Spiritusſancti, cum paſſim legantur dona adoptionis, dona linguarum, & alia id genus innumera. Et quis hoc neſcit dicacule Caluine? Patribus ea mens fuit, vt ſeptem ſpecialia dona, in catalogum redigerent, quæ Iſaias expreſſerat adfutura venturo Meſſię. Nam & in maiori ſumma, minor ineſt. Et qui ſeptem munerat, non inficiatur reliqua. Sua tamen manet contentus heptade, quemadmodum multa ſunt myſteria diuina. Eccleſia Chriſti ſponſa, ſeptem recollegit per antonomaſiam dicta ſacramenta, ac veluti ſeptem corbes, ſportáſve, quæ ſuperfuerant ex his quos turba manducauerat piſcibus & panibus. Iam ſaltem tuam contineto linguam, Caluine: & vel tace, vel benedic. Sed præceps in vitium procacitas, nunquam eſt ſuis limitibus contenta. Ita enim ſcurratur, vt ſæuiat in concilium Aurelianenſe, quòd ſcilicet Confirmationis ſacramentum dixerit perfectum Baptiſmum, quaſi verò aliâs aliquid imperfectionis Baptiſmus habeat. Ita colligere ſolent, quibus lingua prurit libidine obiurgandi. Nemo dicit Baptiſmum eſſe imperfectum.

Aliud eſt perfectionem perfectioni addere, vt gemina intelligantur perfectio: aliud perfectionem imperfectioni. Si completam ſtatuam, viuiſque graphicè depictam coloribus, corona aut

ſceptro inſignieris, ſertóve aliquo florido, meritò eam perfeciſſe dixeris: vt cum bonum bono adiungitur, corollarij vice & ſuperpondij: Quale & illud eſt:

Sume arcum, & pharetrã, & eris manifeſtus Apollo.

Item & illud:

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Cant.4. Et ex ſacris literis: Mel & lac ſub lingua tua.
Prouer.1. Et rurſum: Addetur corona capiti tuo, & torques collo tuo. Sic nobilem aliquem militem, virum alioqui perfectum & ſtrenuum, dicimus conſummatum & perfectum, dum equo inſidẽs, accinctus enſe, calcaribus talis admotis, tota viſitur ſuſpiciendus panoplia.

Ad hunc modum baptizatus, confirmatus, cenſetur miles quidam perfectè armatus, hoc eſt duplici conſummatus perfectione: non tamen aliâs imperfectus. Sic veſtis ſubducta pellibus, perfecta dicitur: quòd & tegat, & corpus calefaciat.

Id quod dicimus, ſatis indicat Melciades his verbis: Regeneratio per ſe ſaluat, confirmatio verò armat. Regeneramur ad vitam, confirmamur ad pugnam. Tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia, victuris conueniunt confirmationis auxilia. Hæc ille. Non ergo hæc inter ſe conferuntur ſacramenta vt malum bono, vel imperfectum perfecto, ſed tanquam neceſſarium iuſto complemento.

Eat nunc ſugillator Caluinus, & alias ſibi

ſtrophas

ſtrophas, quibus ſuum miſerè excruciet ingenium, adinueniat: & alios in ſua pace & tranquillitate dimittat, ipſe quietis impatiens. Ad hæc facilè poterat aſſurgere, niſi illum ſua excæcaſſet ignauia: qui ad omnem ſeditionis occaſionem plus nimio intentus, ad pacis artes prorſus eſt ſtupidus.

Vndecunque anſam mordendi exquirens, (vt eſt odora canum vis nunquam non oblatrãtium) illud in Euſebio Papa, qui crucis venerandæ ſolẽnitatem inſtituit, arrodis Caluine, ex cap. Manus, de conſec. diſtinct. quinta, quia perperam (vt ais) dixerit ſolis epiſcopis competere frontis conſignationem: eodem telo feriens Innocẽtium primum, illi per omnia conſentientem.

Obiicis de Anania: qui cùm diſcipulus eſſet, nõ Apoſtolus, baptizato à ſe Paulo manus impoſuit. Tuóque more oblatrans, ſuum illi exigis deſignari epiſcopatum. Verùm diſce priùs, quàm dicas: Lege prius, quàm doceas. Iam dixiſſe me memini multiplicem eſſe manuum impoſitionem: id quod ex Actis Apoſtolicis OEcumenio interprete haurire potueras. Quin & præter eas, quas diximus manuum impoſitiones, ea ſtatuenda eſt, quam reconciliatricem ac repurgatricem vocare poterimus: quæ locum habet in hæreticis reconciliandis, inque repurganda execratorum & excommunicatorum contumacia, cuius meminit ante annos circiter mille trecẽtos Cornelius Papa, diuo Cypriano coætaneus, ædito ſuper hoc canone, immò veriùs promulgato, cũ antea ædi- Act. 9.

tus foret, de hæreticis sola manuum impositione purgandis. In cuius sententiam, verbis penè eisdem retentis, trigesimus à Petro descendit Eusebius. Qua de re plura, cùm de exomologesi agetur. Nos autem contracto confirmationis vocabulo vtimur, ex Epistola Clemẽtis in Apostolicæ traditionis ordinem relato. Interim vt tuã ipsius ignauiam tibi ponam ob oculos, scire debueras, ex Theodori abbatis historia recẽsita à Raphaële Volaterrano, & à Petro de natalibus, Ananiam fuisse episcopum Damascenorum. Sed nec opus erat certa materia ad episcopatũ in primariæ illa Ecclesiæ fũdatione. Qua in re tuam prodis insciriã. Erant enim Apostoli, vti à latere legati, missi per totum orbem. Postea tamen distinctæ fuere diœceses: vt Petro Antiochena primùm, daretur postea Romana, Ephesina Ioãni, Iacobo Hierosolymitana. Quid si etiã dixero, in ipso actu reuelationis factæ Ananiæ de Paulo conuerso, dominũ illum creasse episcopum, cuius virtus non est alligata exterioribus signis? Quomodo autẽ de Anania res se habeat, mox declarabitur. Dicã & illud tertio, quòd ex Epiphanio prisco & illustrissimo præsule scire debueras, impositionẽ manuum in Apostolis maiorem energiam habuisse, quàm in discipulis. Id colligit ex eo, quòd Simon Magus cùm recepisset à Philippo manuum impositionẽ apostolicam, nihilominus oblato etiã precio, dotem requirebat. Verba eius referam ita inquiẽtis: Blanditus est Simon Magus Apostolis, & ipse similiter cum aliis baptizatus est à Philippo cum multis.

multis. Omnes verò præter ipſum ſuſceperũt magnorum Apoſtolorum præſentiam, & per impoſitionem manuum ipſorum acceperunt Spiritum ſanctum. Nam cum Philippus Diaconus eſſet, nõ habebat poteſtatem imponẽdi manus, vt per hoc daret Spiritum ſanctum. Hæc ille. Cui ſuccinens OEcumenius ait: Diaconi quidẽ virtutem ad ædenda ſigna acceperant, non autẽ vt cæteris quoque darent huiuſmodi ſpiritũ. hoc enim Apoſtolis ſeruatum erat. Idem paulò antè ait à Philippo baptizatos ſpiritũ ſanctum accepiſſe quo ad peccatorum remiſſionem, nõ quo ad ſignorum æditionem. Manet ergo gratia ſacramentalis etiam ſine ſigno viſibili.

Erras itaq; neſciens hiſtorias: & tuo magno dedecore ante victoriã epiniciũ canis. Satius multo fuerat, cauto ſilentio tuam velaſſe, quàm garrulitate reuelaſſe ignauiã. Scriptum eſt: Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi cõpreſſerit labia ſua, intelligens. Alio item loco: Si eſt tibi intellectus, reſponde: ſinautem, ſit manus tua ſuper os tuum. Qui enim cito feſtinat, pedibus offendit: præſertim cùm ad imum alliſus parietem, nõ habeat quò vltrà iam progredi poſſit. Tu verò nec aptè loqui potes, nec tacere commodè. Sciens & prudens abſtineo à nõnullis quæ hic dici poſſent: & inter pios & verè catholicos modeſtia tantùm Chriſtiana tractari ſolent: ſed nolim ſanctũ dare canibus, ne (vt Chriſtus ait) cõuerſi canes dirũpãt vos. Theſaurus clauditur furi, qui aperitur hæredi. Niſi credideritis, (ait propheta) nõ intelligetis

Prou. 17.
Eccli. 5.
Prou. 19.
Matth. 7.

(aliàs,nō permanebitis.)Neq; enim intelligendū est, vt credas: sed credēdum, vt intelligas. Aliud est axiomata statuere, aliud vētilare problemata.

Neque illud silentio præteriri velim, quod ad formam consignationis attinet, vbi legimus hac forma vsum Siluestrum Papam in consignanda fronte Constātini Imperatoris: Signet te deus sigillo fidei suæ,in nomine patris & filij,& spiritus sancti,in cōsignatione fidei. Amen. Hanc formā non tam indidit Siluester,quàm inditam à priscis patribus recepit,quos à prima Ecclesię origine fidelium frontes chrismate consignasse docuimus. Non enim id fecerunt sine rem ipsam significātibus verbis.Nec in sacramentis exhibendis refert, an actiuè,an passiuè,enunciatiuè,an deprecatiuè, actio facta designetur.Græci passiuè dicū̄t,Bapti-

Act. 2. zetur seruus Christi : sicut legimus : Baptizetur vnusquisq; vestrum. Nos actiuè enūciamus: Ego

Matth.28. baptizo te,scientes scriptum esse: Baptizātes eos. Christus enunciatiuè consecrauit Eucharistiā,di-

Matt.26. cens:Hoc est corpus meum.Ecclesia deprecatiuè

Lucæ.22. vnctionis extremæ sacramentum administrat,dicēs:Remittat tibi Deus quicquid peccasti per auditum, vel tactum. Sciebat enim dixisse Iacobū:

Iacob.5. Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus:& si in peccatis sit,remittentur ei. Non igitur variat essentiam formæ siue ita dixerimus, Ego cōsigno te signo crucis: aut cū Syluestro,deprecatiuè,Signet te Deus sigillo fidei. Tria autem sunt necessaria,declaratio actus,& materiæ, cum inuocatione superbenedictæ Trinitatis.

Sed

Sed illud mihi venit in mentem, quod futurum prædixerat & præuiderat cœlestis ille hierarcha diuus Dionysius, ita inquiens: Sed hæc quidem si viderint aut audierint immundi, à nobis perficiéda, latè ridebunt, (vti arbitror) & erroris nostri miserebuntur. Non oportet autem hoc admirari. Si enim non crediderint, (vt eloquia aiūt) neque intelligēt. Hæc ille. Mutato nomine, de te fabula narratur Caluine. Sat scio scriptum esse: Qui erudit derisorem, ipse iniuriā sibi facit: & qui arguit impium sibi maculam generat. Verùm illud me cōsolatur: Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cū separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Huic spei innixus, illud dixisse sufficiat: Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaq;, quia in iudiciis tuis supersperaui.

Isaiæ. 7.

Prouer. 9.

Lucæ. 6.

Psal. 118.

Proinde illud mihi obiter audi Caluine. Proxenetæ illi tui & mediatores, quos toties bellos, aliquando etiam (dum tibi venit in buccam, priusquam in mentem) bonos vocas: Si belli sunt, cur tibi tātopere displicent? Si verò boni, cur tibiipsi impensè places: cùm illi nihil nisi sinistrum de te tuísque dogmatibus aut cogitent, aut sentiāt, aut pronuncient? Illorum potius secutus iudicium & authoritatem, mentem tuam in melius cum tempore muta.

Quòd autem indicas tres apud Lucam locos super impositione manuum: id est extra rem no-

ſtram. Nemo enim eſt qui neſciat (id quod ſuprà iam diximus) manuum impoſitionem ad plurimos effectus ſeſe extendiſſe, ad gratiam videlicet

Marci 16. ſanitatum, vt eſt in Euangelio: Super ægros manus imponent, & bene habebūt, ad prophetiam, ad prædicationem, ad miniſteriū in Eccleſia exercendum, ad doctoris officium, ad donum linguarum, ad diaconatum: vt actorum ſexto capite de Stephano legimus, eiúſque collegis, quos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: oratūq; eſt pro eis, & impoſitæ ſunt eis manus. Sed & in Actis 13. cap. ſcriptum eſſe ſcimus: Erant in Eccleſia quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, Barnabas & Simon. Móxque ſequitur: Segregate mihi Barnabā & Saulum in opus ad quod aſſumpſi eos. Cúmque oraſſent, & impoſuiſſent eis manus, dimiſerunt illos: ſicut qui ſemel adeptus eſt gradum, applicari poteſt ad ſpecialem alicuius voluminis prælectionem.

Id autem extra omnem hæſitationem reponendum eſt, ac tenendum, impoſitionem illam manuum ab Anania factam, non ad cōſignationem ſeu confirmationem, immo verius ad catechiſmum pertinere, aut certè ad ſanitatem recupe-

Act. 9. randam. Textus enim ita habet: Vidit per viſum, virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus, vt viſum recipiat. Non igitur erat confirmatio, ſed gratia ſanitatum. Hîc enim baptiſmus ſequitur impoſitionem manuum, cùm

Ibidem. dicitur: Dominus miſit me, vt videas, per manuū videlicet impoſitionem: & implearis Spiritu ſancto,

cto, per baptiſmum. Et ſequitur: Confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit. Quo facto ſurgens baptizatus eſt.

Ex hoc apparet ſtupiditas tua, Caluine, qui exiſtimas hanc manuum impoſitionem fuiſſe eam quam dicimus epiſcopalem. Non enim vnquam fando auditum eſt dari confirmationem ante baptiſmum. Erat tamen differentia inter Apoſtolos ac reliquos preſbyteros, vt rectè annotauit Oecumenius ſuper hoc verbo: Conuenerunt Apoſtoli ac preſbyteri, vt diſpicerent de eo ſermone: Hæc, inquam, omnia vera ſunt, ſed extra rem noſtram. Non enim de quacunque manuum impoſitione loquimur: ſed de ea quam vocauit Eccleſia priſca conſignationem in fronte, aliâs confirmationem in elementis fidei, & chriſmatis vnctionem. Quam ab Apoſtolis traditam, per manus epiſcoporum exercendam conſtanter aſſerimus, ex ipſa primitiuæ Eccleſiæ cunctis notiſſima hiſtoria, atque adeò perſpicuè nota, vt nulla poſſit inficiatoria arte obſcurari.

Primùm quidem vidêris aut non legiſſe, aut certe neglexiſſe id in quo ſeueriuſculè ſuos tacitè increpare videtur Hebræos diuus Paulus, dum ait: Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti Hebr. 6. ſermonem, ad perfectionem feramur: nō rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum. Super quo Ambroſius ita loquitur: Quia exercitatos ſenſus in lege Domini decet nos habere, intermittamus in-

choationis Christi sermonem, nempe fidei initium. Si autem quis opus habet de fide doceri, necdum fundamentum habet. Quòd si post annos aliquot de fide audire opus habet, rursum initium Christianitatis quærit: quia fides fundamentum est, cætera verò superædificationes. Sed propius accedēs ait: Impositionis manuum, per quā Spiritus sanctus accipi posse creditur: quod post baptismum, ad confirmationem vnitatis, in Ecclesia Christi à pōtificibus fieri solet. Tu ergo ad hunc offendis lapidem, qui reuoluere tentas, immo (si queas) euertere, prima fidei fundamenta, baptismi, inquam, & confirmationis: quæ etiam tempore Ambr. ab episcopis dari solebat. Sequēs est vt lōgè absis à Christiana perfectione: qui velut ebrius vacillas in agnoscēdis primęuę fidei & Ecclesiæ sacramētis. Anselm. super hoc verbo sic ait: Nec iterum iacientes fundamentum impositionis manuum episcoporum, in confirmatione neophytorum, sed firmiter illud retinentes. Qui enim non credit quòd per manuum impositionem detur spiritus sanctus ad remissionē & corroborationem, ille non est fundatus. Qua igitur fronte noui cuiusdam legislatoris personam induis, qui in primis elementis aberras?

Sed vt cœpto pergamus itinere, proferamus verba Clementis, diuo Petro coætanei. Sic ille ait quarta sua decretali epistola: Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere: quia incertus est vniuſ-

vniuſcuiuſque exitus vitæ. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformi Spiritus gratia ab epiſcopo (vt memoratum eſt) confirmatus: quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed incuria, aut voluntate remanſerit (vt à beato Petro accepimus, & vt cæteri ſancti Apoſtoli præcipiente domino docuerũt) & demũ ex operibus bonis oſtẽdat in ſe ſimilitudinem eius qui eum genuit patris. Hæc ille.

De conſignatione olei, id iam probatum eſt ex Tertulliano & Areopagita Dionyſio.

His accedit teſtimonium omni exceptione maius, non longè diſtantis à Petro Hyginij Papæ. Fuit enim octauus à Petri põtificatu: quem etiam Apoſtolorum ſucceſſioni inſerit Irenæus. Is, inquam, Hyginius, patria Athenienſis, ſuccedens Teleſphoro, tempore Antonini Pij legem tulit, vt in catecheſi, baptiſmo, & confirmatione, adhiberetur vnus ſaltem ſuſceptor, aut vna ſuſceptrix: quem patrinum aut matrinam vocant.

Quum audis verbum confirmationis, ſatis intelligere debes, ante ipſius tẽpora cõfirmationẽ fuiſſe in vſu: atque etiam catecheſin. Quam tamẽ dilatam putas ad ducentos poſt CHRISTI paſſionem annos, non ſine ſplendido mendacio, cõmentóque vaniſſimo, quum vix interſint à Petro ad Hyginium, anni ſeptuaginta: inter Petrum verò & Clementem nec dies quidem vnus interſit. Clemens enim à Petro quæ didicerat, recenſuit.

Vbi nunc ſunt, Caluine, tua commenta?

De Fabiano martyre ſuprà diximus pro conſtituendo chriſmate.

Deſideras id quod ad manum habes, neſciens id quod loquaris: vt à confirmandis paruulis exigatur fidei profeſsio. Id autem fieri notius eſt, q̃ vt ignorari poſſit. Inducitur enim à pōtifice non ſolùm vt diſcat confirmandus elementa fidei, immo verò vt diebus ſingulis memoriæ commēdata recitet ac referat. Nec hoc ſolum, immo & ipſis ſuſceptoribus (quos patrinos vocant) cura eadem imponitur, in vtrunque referenda parentem: vt vnius ſaltem diligentia, alterius negligentiam ſuppleat.

Illud autem conſtanter aſſerere auſim, te non fuiſſe apud te cùm diceres [ſacramentum iſtud tandiu perduraſſe, quandiu ſenſibilia miracula perſiſtebant. Quibus ceſſantibus, ſacramentum deſiiſſe non ſine blaſphemia aſſeris] Hac enim ratione ceſſaret baptiſmus, quum iam ceſſarit donum linguarum. Quid ſtupidius iſto delirio? Immo quid magis ſacrilegum aut blaſphemum? Ad te, Caluine, reuertere, téque ipſum aliquando audi loquentem. Non pendet gratia illa inuiſibilis à miraculis externis. Scire enim debebas, ex Paulo, priore ad Corinth. 14. quòd linguæ in ſignum datæ ſint, non fidelibus, ſed infidelibus. Cauſam huius rei reddens Oecumenius ait: Credentes enim non egent ſignis, cùm fideles ſint. Nam authore Chryſoſtomo, Fidelis ſigno nō habet opus, ſed doctrina ſolùm, & inſtitutione. Diuus præterea

Caluinus.

Refutatio

terea Anſelmus, Linguarum, inquit, locutio, propter infideles ad tempus data eſt. Et huius rei rationem reddit Gregorius in Marci vltimum caput, ſuper verbo: Signa autẽ eos qui crediderint, hæc ſequentur. Nunquid (inquit) quia iſta ſigna non facimus, minimè credimus? Sed hęc neceſſaria in exordio Eccleſię fuerunt. Vt enim fides creſceret credentium, miraculis fuit nutrienda: quia & nos cùm arbuſta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quouſq; ea in terra conualuiſſe videamus: at ſi ſemel radicem fixerint, à rigando ceſſamus. Hæc ille.

De ſacramento Euchariſtiæ.

DE ſacroſanctæ Euchariſtiæ, déque corporis Chriſti in ipſa, veritate: ſatis ſupérque diſſeruimus in præcedentibus tomis. Pauca nunc reſtãt, in cœnæ dominicę cauſa futiliter per eum aſſerta & prolata, flatibus exponenda ventilare: quorum pars commentitia eſt: pars verò vſque adeo inepta, vt ſingula recenſere, ipſius etiam authoris nomine me omnino pudeat ac pigeat.

Contendit ille ad omnem fouendam impietatem pugil indefeſſus, Euchariſtiæ panem ſemper adeſſe, nec aliud præterea quicquam, cõtrà quàm CHRISTVS & dixerit & docuerit. Hoc, inquit Dominus, hoc inquam, ſingulariter quod vobis trado: nec quicquam aliud, eſt corpus meum, illud ipſum citra omnem allegoriam quod pro vobis traditur. Corpus Chriſti, eſt Chriſtus in cruce

passus. Si hoc est Christus, est igitur creator, non creatura. Quomodo ergo vna eadem res singularis poterit esse creator, & creatura panis? Si igitur est panis, iam non est creator. Si creator, iam non est creatura panis. Hunc nodum dissoluat, qui iam medius tenetur, Caluinus. Nihil enim hic pluribus opus, cùm hæc causa alio loco abunde sit excussa.

Luc. 11. Huc tamen animum adhibe, lector catholice. Satanas in se diuisus est. Dissidet hæc vulpecula à suis progenitoribus, hæresiarcha Luthero auo, patre verò Bucero, diu tamen & multùm in hac causa vacillante, sed qui manus tandem victas dederit. Dissidet, inquam, Caluinus à leone & vrso Martinis, qui statuunt corporis Christi præsentiam in Eucharistia: quam ipse impiè diffitetur, & improbè, nulla honoris præfatione vtens, repetitis vocibus appellans, Le corps de Christ. Pro quo dicere debuisset, Iesu Christi seruatoris corpus sacratissimum.

Sed his omissis, videamus quas aduersus hanc fidei pietatem moliatur insidias. Primùm orditur ab exemplo baptismi.

Caluinus. [Si quis (inquit) negaret subesse aquam baptismali lauacro, fictitius & simulatus esset baptismus. Idem ergo dicẽdum de Eucharistia, si quis dixerit substantiam panis abesse.]

Refutatio Sed ô præposterum ingenium! Immo contrarium omnino sequitur. Nam fictio est, vbi res aliter habet quàm verba prætendunt. Contrà verò nullus est fictioni locus, vbi ita res habet vti verba

ba ſonant. Forma baptiſmi hæc eſt: Ego te bapti- zo, baptizo, inquam, ex aqua ſecundum verbum Chriſti : Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiri- tu ſancto. Ergo oportet illic veram ſubeſſe aquá, vt abſit omnis ſimulatio. Contrarium autem de panis ſubſtantia in Euchariſtia cenſendum eſt. Quæ ſi adeſſet, verba iſta minimè cõſtarent: Hoc quod vobis porrigo, re vera eſt. Non dico conti- net, vt oſſa medullam: nec dico, ſignificat, vt ſer- pẽs in deſerto, Chriſti paſſionem: ſed verè & rea- liter eſt atque identicè corpus meum. Corpus in- quam ipſum, quod pro vobis tradetur. Hoc igi- tur eſt creator. Si adeſſet panis, qui ſingulariter demonſtraretur, eſſet creatura. Quomodo fieri poſſit, vt hic panis ſit corpus Chriſti? Oportet er- go abeſſe panem, & ſolum ſupereſſe corpus Chri ſti: vt abiecta omni ſimulatione & impietate, re- gnet ipſa veritas. Nunc vide, Caluine, quàm cor- niceris ineptè, oppoſitum eliciens eius quod in- ferre debueras. Ais enim: Niſi adſit panis, eſt fi- ctio. Ego verò contrà: Si adeſſet panis, fictio eſ- ſet, nec verba conſtarent. Tu concludis panem adeſſe, non corpus Chriſti. Ego ex diametro tibi aduerſus, conſtanter aſſeuero (vt omnia ſecum & cum veritate conſtent) adeſſe corpus Chriſti, & non panem.

Ioan. 3.

Lucæ 22.

Aliud tibi quære, Caluine, commentum, vt tuam ipſius calumniam adſtruere poſſis. Quod vt à te fiat, ſplendidiſsimo te protegis mendacio. Ignarúſne veteris hiſtoriæ, an ex induſtria id fa- cias, nolim pronunciare. Sed eò impudentius lo-

queris, quò certius asseueras rem secus quàm ha-
Caluinus. beat. Ais enim [certius esse certissimo, per solidos annos sexcentos nullum ex patribus de præsentia corporis Christi in Eucharistia fuisse lo-
Refutatio quutum.] Primùm, vanissimum est quod assumis. Deinde colligis ineptisśimè, adeò vt nihil inde conficere possis, etiam si verum esset quod assumis. Pontianus pontifex non multis annis distās à Petro, apertissimè docuit præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Cuius etiam rei meminit multis antè diebus & annis Tertullianus. Sed esto nullus meminisset: nónne nobis sufficere de-
Marci 14. buerant verba Christi dicentis: Hoc est corpus meum? Fœliciora erant ea sæcula, quàm nostra, quando nullus erat controuersiæ locus. Erant omnes simplici verbo Dei contenti. Homousion nondum venerat in linguas hominum, nisi ansam præbuisset Arriana perfidia. An propterea non erat CHRISTVS dominus homousion? Absit. Res erat ante nomen. Vide ergo quàm ineptè colligas, qui ex penuria verbi, rem factam vis haberi pro infecta.

Quis tam insulsus ac insipidus, quem isthæc tam stupida, ad suum tegendum errorem proferre non puderet? Alia igitur carne opus est, si satur esse velis. Vteris itaque à nobis mendicato cibo, quo auiculas tuas à te deprauatas, iam bene pastas, ad saltationem inducas.

Quin & præludis cum gratiarum actione, quòd tibi à nobis data sit occasio tuæ adstruendę sententię. Verùm ne sis nimium præceps, Caluine.

uine. Statim enim euanescet argutula ista vanitas.

[Præfatur (inquis) sacerdos, ac nonnunquam alta voce præcinit: Sursum corda. succinente clero: Habemus ad dominum. Vbi quidam legunt, habeamus. Si igitur (vt ais) CHRISTVS adoraretur in Eucharistia: iam non sursum corda erigerentur in cœlum, sed deorsum deflecterentur ad altare.] Caluinus.

Bella certè consequentia, nempe à thesauris ad carbones. Primùm quid si tibi dixero, dum sacra in sublime leuatur Hostia à sacerdote, oculos nostros & in cœlum erigi, & ad Christum dirigi? Quid hic habes quod opponas? At de spiritualibus oculis loquor (inquies). Et id à te dictum volebam. Si deorsum defigere oculos corporis, impediat sursum assurgere aciem mentis: ergóne eris tam impudens, vt dicere audeas, Christiferam virginem non habuisse mentem in cœlum erectam, quando humi procumbentem humanæ salutis authorem Christum, quem genuit, adorauit? Idem de piis illis mulieribus, quæ in terram prostratæ tenuerunt pedes Iesu. Idem de Petro, quum diceret: Recede à me, quia homo peccator sum. Idem de Magis, déque cæco nato: qui ad pedes domini Iesu prostrati, proni adorabant. Quid Magdalenam referam? Quid de Publicano dicam, qui nec audebat oculos leuare in cœlum? déque Zachæo, qui à summa arbore pendens, CHRISTVM ex alto dispiciebat, non quidem contemptim, sed venerabundus, deor- Refutatio Lucæ 2. Matth. 28. Lucæ 5. Matth. 2. Ioan. 9. Ioan. 20. Lucæ 18. Lucæ 19.

ſum ambulantem? An propterea illi non habebant ſurſum corda erecta? Abſit. Nihil igitur promoues ſtupida tua argutatione, qua perſuadere vis, quum nihil minus poſsis, ideo non eſſe adorandum in Euchariſtia CHRISTVM, ne ſcilicet cogamur deorſum deflectere oculos, ſeu mentis, ſeu corporis. Nam de oculis corporis nihil obſtat. De oculis verò mentis nihil impedit quo minus erigantur in cœlum.

Deſinant hic ſaltare auiculæ tuæ, à te hactenus deluſæ. Nil vltra quò iam progrediantur, habent. Deſine & tu his nugis tuam deinceps prætexere vaniſſimam impietatem.

Sed hoc ſcilicet ſupereſt addendum, vt (ne illud omittam) quod ſemper habet in ore ſordidus hiſtrio, chironomúſque impuriſsimus, omni ſimia ridiculoſior, bellos vocans mediatores, eos nonnunquam luto impietatis conſpergens: quos pro patribus ac dominis venerari, colere, & obſeruare debebat, vtpote Cæſareæ maieſtatis latus tegentes, niſi velit crimine læſæ maieſtatis inuri. Sed parum curat humanam, qui toties impingit in diuinam.

Verùm ſinamus ſimiam ſemper eſſe ſimiam. Ex abundantia enim cordis os loquitur: vt teſtatur Matthæus duodecimo capite. Ait (vt in viam redeam) locutuleius iſte, ex verbis Pauli de Manna & mari rubro non niſi metaphoricè prolatis, colligi poſſe in ſermone Chriſti figuram, non rem ipſam.

Id autem abunde confutatum eſt in Appendice
noſtra

noſtra de cœna dominica. Verba Chriſti nullius figuræ velamen recipiunt: rem ipſam adeſſe demonſtrant, ipſiſſimam ſcilicet corporis Chriſti præſentiam.

Ne autem nihil egiſſe videatur, à figuris ſtatim ſe proripit in coniecturas. Coniectat, auguratur, quid de reliquiis Euchariſtiæ in cœna factum ſit. Denique qualiacunque voles, Caluinus ſomnia vendit: vt oſtendat neglectas fuiſſe ſanguinis & corporis Chriſti reliquias. Sed aliæ erant reliquiæ ciborum agni Paſchalis, potúſque cõmunis: aliæ verò poſt conſecrationem panis & vini, quas nemo dubitauerit nullatenus fuiſſe prophanatas, iubente domino ac vetante Sanctum dari canibus, Matth. 7.
& margaritas porcis. Idẽ dixeris de fractione panis in primitiua Eccleſia duplici, cõmuni ſcilicet, & myſtica. Dum enim frangebatur panis myſticus, non niſi cum ſumma religione conſecrabatur, edebatur, & conſeruabatut. Id autem conſtat ex traditionib⁹ Apoſtolicis. De cõmunicatione verò ſub altera ſpecie, ita rẽ tractauimus in Appẽdice noſtra, vt illud ſufficere poſſit ad omnia vaniſſimi huius & nugaciſsimi nebulonis tollenda blateramẽta. Quid enim pluribus opus eſt, quãdò conſtat ex Apoſtolicis dogmatibus eorum qui proximè poſt Apoſtolos floruerunt, ſolis ſacerdotibus traditam fuiſſe conſecrandi poteſtatem, viris conceſſam, mulierculis denegatam? Ad canonem Gelaſij ex capite, Comperimus: de conſecratione diſtinctione ſecũda, prohibentis diuidi ſacramentum à ſacerdote conſecrante, in

promptu eſt reſponſio: Non licere in ſacerdote, quod in laico licet. Nam impoſtor iſte, ſi mens illi non læua fuiſſet, ſatis intelligere poterat Gelaſium ſuum canonem referre ad ſacerdotem tantùm celebrantem, non ad recipientem laicum. Neque enim ignorabat Gelaſius quid placita patrũ vellent. Ad cætera plus cẽties reſponſum eſt.

De ſacramento Pœnitentiæ.

POenitentiæ, quæ mentis vulnera curat, cunctis amplectendum ſacramentum, flagris ac ſcorpionibus cædere & flagellare contendit, homo vſque ad extremam perniciem impœnitens. Satisfactionis nomen & germen, immò & omnẽ de ſub cœlo memoriam, extinguere conatur immemor ipſe ſui. Cõfeſſionis cláculariæ altiſſimè fixas radices, inuidioſè extirpare laborat, vt eſſe ſolet ipſa ſuperbiſſima larua cuique odioſiſſima. Sed omnia fruſtra. Quin potius illud vereatur, quod in Romanis cap. 2. diuus Paul. ait: An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis cõtẽnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddit vnicuique ſecundum opera eius.

Illud (vt ad rem veniam) cuiuis catholico abunde ſufficit pro conſtituendo pœnitentiæ ſacramẽto, pœnitentiam (ſeu tu hoc nomine peccatorum aut publicam aut ſecretam confeſſionem, aut cõ-

fitentium abſolutionem, aut pro eis delendis ſatiſfactoriam pœnam intelligas) ab initio naſcentis Eccleſię, diuino inſtinctu, Apoſtolorum traditione, priſcorum patrum præconio, continua tẽporum ſerie, ad nos vſque perueniſſe. Primúmq; illud alta mente reponendũ, quòd quoties de cõmunione poſt peractã cõſecrationẽ agitur, cuius meminit Anacletus, toties ſupponitur probatio cõſcientiæ, cuius meminit Paulus, inquiens: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Quid autẽ probationis nomine intelligatur, id omnes vno ore doctores teſtantur, non tantùm eſſe fidẽ de veritate ſacramenti, immò & pœnitentiam, & confeſſionẽ. Iudas ſaluatoris noſtri proditor hoc nomine male audiit, quòd eũ nõ pœniteret cõceptæ moxq; exercendæ proditionis. Audiit enim: Quod facis, fac citius. Hãc probationẽ ita depingit Auguſtinus in cap. 33. de ſalutaribus documẽtis: Vnuſquiſque antequã corpus & ſanguinẽ domini noſtri Ieſu Chriſti accipiat, ſeipſum probet: & ſic ſecundum Apoſtoli præceptũ de pane illo edat. Sed modũ ſe probandi graphicè depingẽs, ait: Quando enim illud accipere debemus, antea ad cõfeſſionẽ & pœnitentiã recurrere debemus, & omnes act⁹ noſtros curioſius diſcutere: & peccata obnoxia ſi in nobis ſenſerimus, citò feſtinemus per confeſſionẽ & verã pœnitentiam abſoluere: ne cum Iuda proditore, diabolum intra nos celantes, pereamus, protrahentes & celantes peccatum noſtrum de die in diem. Cui ſubſcribens Theophylactus, ita inquit: Tua cõſcientia exami-

1. Cor. 11.

Ioan. 13.

nata discussáque, adito ea mysteria. Nec enim dicitur, fidé suam tentet, sed conscientiam probet. Nec cũ temeraria præsumptione, cũ Caluino, sed cum deuoto animo ac timore ad communionem accedendum est, cum Ambrosio. Cyprianus de lapsis epistola. 27. sic ait: Ante expiata delicta, ante exomologesin factá criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis domini & minátis, pacem putant esse, quàm quidam verbis fallacibus vendicát. Non est pax illa, sed bellum. Nec Ecclesiæ iũgitur, qui ab euangelio separatur. Hæc ille. Huc tendunt verba Augustini in anniuersario dedicationis sermone primo.

Sed hæc fieri per recõciliationẽ sacerdotis opera, à primæuæ ritu Ecclesiæ, modò publicè, modò secretè, nõ obscurè demõstratur. Nota est Pij Papæ cõstitutio, canõq; pœnitentialis (qui fuit à Petro non⁹ põtifex) de eo qui sciẽs peierat: qui si liber est, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat, & septẽ sequentes annos. Si seruus, tres quadragesimas & legitimas ferias pœniteat. Extat & canõ pœnitẽtialis de cõsecra. distinct. 2. ca. Si per negligentiá, eodẽ Pio Papa authore. Quæ pœnitẽtia imponi non poterat à sacerdote, nisi reo crimen detegente. Probat & id quod dicimus, Soteris Papę decretũ, non tanquá de re noua, sed lõgo iam vsu irroborata prolatũ. Ait enim: A nullis in cœna domini perceptio Eucharistiæ negligatur, exceptis iis quibus pro grauibus criminib⁹ inhibetur. Id (inquit) ecclesiasticus vsus demonstrat,

ſtrat, nempe ſuperioribus tẽporibus obſeruatus, videlicet pœnitẽdi & recõciliandi: cùm (inquit) & pœnitentes eadẽ die ad percipienda corporis dominici ſacramẽta recõcilientur. Reconciliabãtur ergo non ſolùm publicè, immò quãdo copia ſacerdotis ſuppetebat, ſecretè. Et id quidem ante eius tẽpora, qui fuit à Petro pontifex vndecimus.

Meminit & Fabianus, dum ait: Sin non frequẽtiùs, ter ſaltem in anno fideles cõmunicent, niſi fortè quis maioribus criminibus impediatur. Vbi indicatur reconciliatio. Satisfactio verò pro peccatis, ex eodem colligitur, cùm ait: Vt per has immolationes, peccatorum ſuorum faſcibus liberẽtur. eleemoſynarum vim & energiam exprimẽs.

Pœnitẽtiam agnoſcit Cornelius Papa, cùm ait eos qui lapſi fuerint, fomentis pœnitentiæ medicãdos. Quos etiã Cyprianus dicit ad pœnitentiã cohortandos, qui & plurimus eſt in aſſerenda remiſſione peccatorum, ſeu remiſſione à peccatis, quę fiebat opera ſacerdotis. Extat & alius canon pœnitẽtialis concilij Ancyrani ante cõciliũ Nicenum celebrati, & in ſexta ſynodo Cõſtãtinopolitana recepti. Is eſt canon ordine nonus, vbi à fide deficiẽtes toto ſexennio pœnitentiæ ſubiiciuntur duraturę vſq; ad decẽniũ. Canon Niceni concilij vndecimus, totus in hoc eſt, vt pœnitẽtiæ gradus ordinẽtur & limitẽtur. Erant enim multi pœnitẽtium ordines, triẽnales ſcilicet, ſeptẽnales, & decennales: quos omnes temperabat & moderabatur epiſcopus, iuxta pœnitentium animum & fructum. Secundum hoc differebatur reconciliatio

ſacerdotalis: aut certè accelerabatur abſolutio, ſeu publicè, ſeu etiã ſecretè. Quinquennalis pœnitentia indicitur adulteris ante reconciliationem, ex concilij Niceni capite ſexageſimo nono: & decennalis vxori, capite ſequenti. Hæc omnia reuelari oportebat ſacerdoti. Idem conſtat ex ſequentibus canonibus, vbi de recõciliatione agitur & pœnitentia. De viris in pœnitentia poſitis, agitur in concilio Arelatenſi ſecundo, primo & ſecundo ſupra vigeſimum capitibus. Cui iſthæc minimè ſufficiunt pro conſtituenda homologeſi & pœnitentia, ſufficere debet ignis, qui nũquam dicit ſufficit. Non deſunt tamen alia pleráque ſacrorum Doctorũ teſtimonia, quale eſt illud Ambroſianum in capite, Verbum, de pœnitentia diſtinct. prima: quib⁹ ſacerdos iudex aſſeritur in remittẽdo peccato. Idem probatur ex ſentẽtia Gregorij homilia vigeſima ſexta in octauis Paſchæ. Chryſoſtomus ſermone de pœnitentia ait nõ ſufficere ſi quis dicat, peccator ſum: niſi & peccatorum reminiſcatur. Idem docet vti cõſcientiæ adiumẽto, & ad confeſſionem facinorum feſtinare, medico vlcus oſtendere, qui curet, & non exprobret, & ſoli ei loqui nullo alio conſcio, & omnia cum diligentia dicere, homilia decimanona in Geneſim. Ecce confeſſionem & ſatisfactionem. Ampliter de ea re loquitur Auguſtinus ad fratres eremitas ſermone trigeſimo. Vult (inquit) Deus, quòd cõfiteamur: non quòd ignoret peccata noſtra. Sequitur: Diſcute mentem tuam, proſpice ſecreta ſingula cordis antequam ad cõfeſſionem

accedas.

accedas. Cyprianus ſermone quinto de lapſis, iubet etiam ſacerdotibus culpam cogitationis reuelari. Idem Cyrillus ſuper Leuiticum libro tertio. Remiſſio (inquit) peccatorum obtinetur, cũ nõ erubeſcit ſacerdoti domini peccator ſuum reuelare peccatum, & quærere medicinam.

Eſt in hoc aliquod mirabile ſecretũ, quòd iubet dominus pronunciare peccatum. Eo ſpectat ſententia Hieronymi Epiſtola decimaquarta ſecundæ partis de generibus leprarum.

Origenes meminit & ſecretæ & publicæ pœnitentiæ, ſuper pſalmo trigeſimo ſeptimo.

Vtriúſque etiã meminit Leo Papa, ſcribens Epiſcopis per Campaniam, Epiſtola quinquageſima ſeptima.

Meminit & Hieronymus ſuper eo verbo, Si mordeat ſerpens in ſilentio.

Ambroſius docet pudorem peccatorum matura confeſſione præuenire. Idem de pœnitentia diſtinct. prima, cap. Non poteſt.

Tertullianus libro de pœnitentia, totus in hoc eſt. Cõfeſſio (ait Leo Papa) primùm domino offertur, deinde ſacerdoti, cui pro peccatis peccator accedit.

Confeſſionis ſecretæ meminerunt Baſilius Magnus capite nonageſimo octauo de inſtitutione monachorum, Gregorius Naziãzenus in monodia, Dionyſius in Epiſtola ad Demophilum monachum, & in hiſtoria tripartita Soſomenes libro ſexto capite trigeſimo quinto.

Pulchrè confutat Ambroſius eos qui negant

ſacerdotem peccata ſoluere. Cur (inquit) baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo vtique remiſſio omnium peccatorũ eſt. Quid intereſt vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius ſibi datum ſacerdotes vendicent? Vnum in vtróq; miniſterium eſt. Sed dices, quia in lauacro operatur myſteriorũ gratia. Quid in pœnitentia? Nónne Dei nomẽ operatur? Quid ergo? Vbi vultis, vendicatis vobis Dei gratiam. Vbi vultis, repudiatis. Remittit itaque ſacerdos peccata, ſed miniſterialiter per ſacramenta, Deus autem propria authoritate.

Idem Auguſtinus Homilia quadrageſima nona, & recenſetur capite Agite. de pœnitentia diſtinctione prima.

Nec verum eſt quod Nectarius aboleuerit confeſſionem, ſed pœnitẽdi modum in melius commutauit, ad vitandum grauius periculum.

Quin teipſum lædis ac vulneras, quo te protegere putas, clypeo (ſub cuius onere ſuccumbas, Caluinus. neceſſe eſt.) [Dum ais, abrogatam fuiſſe clanculariam confeſſionem, ob ſcelus prætextu clanculariæ confeſſionis admiſſum.]

Refutatio Nam ſi abrogata fuit, multo tẽpore erat in vſu. Non eſt igitur recens, vt toties fabularis, inuentum. Sed nec id verum eſt, quod vaniſſimè aſſeris. Non enim abrogata, immò potius reſtaurata fuit confeſſio: vt ſcilicet ablata rubigine, egrederetur vas puriſſimum. Qui ſcoriam repurgat, tantum abeſt vt deſtruat, vt rem potius illuſtret. Cautio igitur adhibita eſt, ne in latebris fierent huiuſ-

huiuſmodi abſolutiones, ad vitandas diabolicas inſidias. Videri enim debent & confeſſarius & confitens in propatulo, cùm cætera maneant ſecreta.

[Quòd autem ais Deum ſufficienter ſatisfeciſſe.] Caluinus.

Id nemo negat. Exigit tamen à nobis pia opera expiatoria: ſicut ſufficienter ſatisfecit pro infidelibus, à quibus tamen exigit fidem, ſpem, & charitatem. Item & dolorem de peccatis, pias eleemoſynas, & cætera bona opera: quibus vult placari offenſus, qui ait: Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes pœniterent. Et facite (inquit Lucas) fructus dignos pœnitentiæ, exemplo Magdalenæ: quæ conuertit numerum virtutum, ad numerum criminum. Idem aſſerit Gregorius Homila vigeſima. Idem docet ſapiens, qui ait: De priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur. Cyprianus libro primo Epiſtola tertia ſic ait: Datur opera ab aliquibus, ne ſatisfactionibus & lamentationibus iuſtis delicta redimantur: tunc pax vera falſæ pacis mendacio tollitur. Itidem docet Chryſoſtomus Homilia ſecunda in pſalmum quinquageſimum, dicens: Quærit quidem à nobis Deus. Miſeretur quidem, ſed non paſſim miſeretur. Prouocat nos, & dicit: Da & tu aliquid. Vtputa mille ſcelera perpetraſti, habes onera delictorum: volo alleuiare pondus tuum, da & tu manum tuam. Non quia ego

Refutatio

Luc. 10. Matth. 11.

Matth. & Lucæ. 3.

Eccli. 21.

tui egeo, ſed quia volo & te aliquid conferre ad tuam vtilitatem. Irenæus verò ſic habet: Eſt enim Deus perfectus, & ſine indigentia. Propter hoc autem exquirit ab hominibus ſeruitutem: vt quoniam eſt bonus & miſericors, benefaciat eis qui perſeuerant in ſeruitute eius. Hæc illi.

Hæc cum ſufficere debeant cuiuis cordato & oculato, qui modo ſapere velit, non pluſquam oportet ſapere, ſed ſapere ad modeſtiã & ſobrietatem: quietis tamen impatiens ſpermologus noſter Caluinus, iampridem à catholicorum conſortio deturbatus, & ſponſa Chriſti Eccleſia, quæ (vt Epiphanius ait) Dei nauis eſt, quæ omnem conſcenſorem admittit, præter latronem. Nam cum noſcat latronem & piratam, ipſum non admittit, neque fugitiuum, qui à propriis dominis diſcedit. Alioqui quemuis peregrinum recipit, vt tranſeat, & non ſubmergatur in mari. Iſte tamen Iſmaël, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum, exagitatam aliquanto prius, ſed præmaturè & extra ordinem, ſacramẽtalem confeſſionem nunquam tamen expugnatam, iterum nihilominus ac ſecundo, quanta maxima vi poteſt, adoritur ex puppi, quam ex prora nequiuit euincere. Reſtat ſingula eius iacula breui manu elidere.

Inſectatur autem ſacramentalem hanc, quam clancularium & auricularium vocat, confeſſionem, odioſiſſimis conuiciis. Neque id mirũ, cum ſit ſuperbo elatóque animo: cui nihil grauius accidere

cidere poteſt, quàm propria ſcelera & agnoſcere, & in alterius ſinum effundere. Eam primùm adoritur ſub illo communi Achille, ſed furfuraceo planè ac ſtramineo, [quo ait iniuriam inferri diuinæ clementiæ, ſi eius gratiæ, quæ omnino libera eſt, quis alligauerit, & (vt muliebriter loquitur, attacher) aſſuerit onus confitendi. Alioqui gratia (inquit) iam non eſt gratia.] Caluinus.

Ad id quidem iam reſpondimus, in baptiſmo, in nullo obſcurari gratiam Dei, immò potius illuſtrari. Alioqui ſuam ipſius gratiam dominus obſcuraret, adiecta in conferendis ſuis beneficiis (ex ſuo ipſius decreto) conditione. Hac ratione diceretur ſuæ maieſtati fumum offudiſſe, cùm ait: Dimittite, & dimittetur vobis. Et rurſum: Sic pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Nec ſolùm in remittendis peccatis, verùm & in beneficiis conferendis conditionem adiecit, onúſque petendi, quærendi, & pulſandi. Petite (inquiens) & accipietis: quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Pollicetur ſuam gratiam, ſplendidam quidem illam, nec vlla ex parte obſcuratam, cum conditione tamen, aut modo, aut cauſa, petendi, quærendi, & pulſandi. Hic vides tuum Achillem nedum proſtratum, immò verò confoſſum. Id quod nec tu ipſe diſſimulare potes, quantumuis rimam exquirés qua effugere queas. Qui, velis, nolis, profiteri cogeris poteſtatem ligandi & ſoluēdi datam Apoſtolis, valere ad ma-

Refutatio

Lucæ. 6.
Matth. 18.
Matt. 7 & Lucæ. 11.

gnificandam vim & energiam Euangelicam: & ita profiteris recōciliationem peccatorum ex diuino decreto, esse obnoxiam absolutioni, ab ore sacerdotis prodeunti. Opus est igitur subire huius absolutionis conditionem, cui enunciandæ etiam Angelos ipsos vix sufficere asseris. Opus ergo est iudicio sacerdotis, non quidem declaratorio, immò absolutorio: ídque ex CHRISTI
Ioan.20. domini expresso mandato, dicentis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Duo dicit, non tantùm esse remissa peccata, immò & ipsum sacerdotem ea remittere: & ligata à sacerdote, ligari, non declarari. Idem
Matth.16. enim dixerat Petro: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis. Iam nullatenus effugere potes quominus fatearis ex CHRISTI decreto esse alligatam (si tamen copia sacerdotis non defuerit) sacerdotalem absolutionem. Peccatum verò quomodo retinebit, nisi scierit? Et quomodo sciet, nisi reueletur? Tenemur igitur nostra sacerdoti reuelare peccata, ab ipso sacerdote, sub Deo tamen, aut relaxanda, aut certè retinenda. Túne ita impudens eris, vt CHRISTVM audeas arguere, quòd suæ gratiæ nebulam offuderit per eam quam reconciliationi peccatorum adiecit conditionem?

Obmutesce igitur miser, & exi ab errore isto: & quos tu baldinos Sorbonicos vocas, agnosce teipso tuísque collegis multis partibus & peritiores & eruditiores. Nec satis teipsum intelligis,

gis, dum ais: Post mille annos à CHRISTO nato, primùm orbi innotuisse clancularian huiuscemodi confessionem. Nam huius assertionis splendidum mędacium apertissimè coarguit temporum ratio. Floruit temporibus Vitelliani Pontificis Theodoricus, natione Græcus, doctrina & eruditione Græcolatinus, sub annum à parta salute paulo plus minúsve sexcentesimum sexagesimum. Qui cum esset Cantuariensis Episcopus numero eius ordinis septimus, redegit in vnum volumen pœnitentiales canones, non tam à se æditos, quàm longo ante suam ætatem vsu probatissimo receptos. Vnde etiam liquido constat, pœnitentialem satisfactionem per pœnalia opera & laboriosas abstinentias, nunquam non in vsu fuisse. Quas tu tamen improbè eleuas & impiè, tanquam hesternum inuentum, tibiipsi tuo more contrarius, tecúmque ex diametro dissentiens: qui solùm constas mobilitate tua, ad omnia vacillans & nutans.

Quòd ergo impiè exagitas, & insipidè, qualiter intelligendum sit, teipsum, si nescis, docebo. Scire te oportuit, ignaue Caluine, prius quàm quicquam tam liberè diffinires, præceptum de confitendo affirmatiuum esse, ideóque semper obligare, sed non pro semper: vt communi, sed omnibus perspicuo, verbo vtar: rei, de qua agitur, explicandæ gratia.

Tum verò maximè sopitum manet vinculum, manente tamen præcepto, cùm deest copia sacerdotis: quam sacerdotum inopiam peperit pri-

mùm difficultas temporum ſub tyrannis fidem & ſacra prophanantibus : deinde ſub hæreticis omnes interturbantibus Eccleſias, ac ſacerdotum chorum ad penuriam redigentibus. Tertiò etiam hanc difficultatem pepererunt barbarorum incurſiones, Gotthorum ſcilicet, Hunnorum, VVandalorum, & reliquæ totius fæcis barbaricæ : donec ventum eſt ad tempora Caroli Magni : qui parta Eccleſiis pace & tranquillitate, ſua opera & induſtria effecit, vt floreret ſacerdotium, & multiplicaretur in ciuitate ſicut fœnum terræ, & eſſet ſicut frumentum in ſummis
Pſal. 71. montium, & extolleretur ſuper Libanum fructus eius. Liberatus enim tunc eſt pauper à potente, pauper cui non erat adiutor : parcitúmque pauperi & inopi, & animæ pauperum ſaluæ fa-
Ibidem. ctæ ſunt. Efferueſcente igitur & exuberante in Eccleſiis confeſſariorum copia, exertum eſt, & quaſi è theca excluſum antiquum illud præceptum de clancularia exomologeſi, non quidem recens inuentum, ſed vetus renouatum, ſaltem quo ad exercitium. Semper enim fuerunt qui clanculariam hanc confeſſionem obſeruarent.
Non tamen omnibus facile erat ob confeſſariorum inopiam huic intendere negocio. Interim nunquam defuerunt publicæ ſaltem exomologeſes : quarum apud Tertullianum, Cyprianum, cæteróſque Eccleſiæ proceres, frequens eſt mentio. Nam quoties de ſuſcipienda Euchariſtia agebatur, præſertim in cœna Dominica : nunquam ſine præfatione exomologeſis authore Cypriano

morem

morem referente antiquum accedebatur ad eam. Neque id mirum. Sciebant enim ſcriptum eſſe: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Colliguntur iſthæc abunde ex his quæ ſuprà recenſuimus. 1. Cor. 11.

Neque id quidem ſilentio præteriit OEcumenius de Simone Mago, in hunc ediſſerens modum: Quod addit, Orate vos: non pœnitentiæ eſt, aut conuerſionis. Vbi enim lachrymæ ſunt, & confeſſio? Hoc autem demonſtrat rem eſſe correctu difficilem, multáque pœnitentia opus habere. Hæc OEcumenius. Act. 8.

Colligitur præterea ex beati Cypriani Martyris ſcriptis, quòd primùm fieret confeſſio criminum apud ſacerdotes, quam ſequebatur pœnitentia: quam nos iniunctam vocamus, aliàs ſatisfactoriam. Exomologeſin autem ſequebatur impoſitio manus, vel cleri, vel epiſcopi: quam demum ſequebatur communio Euchariſtiæ. Sic enim habent eius verba, Epiſtola decimaquarta. Peccatores cùm in minoribus peccatis agāt pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem, ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi aut cleri, ius cōmunicationis accipiant. Idem penè recenſet libri tertij decimaſexta Epiſtola. Ex quibus liquet, & ante tempora Cypriani, & aliorum priſcorum etiam patrum, occultorum ſcelerum exomolo-

gesin fuisse secretam. Cuius tamen exercitium quò minus ad singulos perueniret, obsistebat (vti iam dixi) penuria sacerdotum. Neque id mirum: cùm etiamnum nemo obligetur nisi cui subest copia confessarij.

Deuẽtum itaque est ad tempora vberioris messis, & confessariorum, & clanculariæ confessionis iugum subeuntium, cùm scilicet emergere cœpit canon Innocentij tertij: Omnis vtriúsque sexus. Ab eo tempore exertè obligare cœpit catholicos præceptum de clancularia confessione, & à prælatis exigenda, & à peccatoribus præstãda. Hunc vsum exertis verbis explicuit præfatus Innocentij canon. Non igitur res noua est, sed antiquissima, ab eodem Innocentio recentata. Hic quid opus est recensere decretalem Anacleti, qui fuit à Petro tertius, vbi iubentur peracta consecratione ministri communicare? Neque id quidem sine exomologesi, idq; sub pœna excommunicationis, qua Ecclesiasticis excluderentur liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Et de absolutione à peccatis habes ex Cornelio Papa, vbi dicitur, Ab hæreticis non dari Spiritum sanctum, nec veram remissionem peccatorum. Et rursum: Extra Ecclesiam apud hæreticos nullam esse reconciliationem, vbi (inquit) veniam delictorum tribuit sceleratus.

Postea verò sub Fabiano institutum est, vt ter in anno communicarent Christiani. Tandémq;

réfrige-

refrigeſcente charitate, adhibita cautione ne laquei iniicerentur infirmis, reducta eſt communicandi neceſsitas, præcedente ſemper ſua exomologeſi, ad ſolennia myſtica Paſchæ. Vides vt eodem curſu reſpondeant vltima primis, quatenus patiebatur confeſſariorum inopia. Semper itaq; fuit in præcepto confeſsio: non tamen ex æquo obligauit ſemper, deficiente materia ad id requiſita.

Aliquid lucis habere videtur Vadianus, impietatis Caluinicæ epitomatarius, quum diceret: Tēpore Caroli magni inualuiſſe, & clarius emerſiſſe confeſſionem hāc auricularem. non quòd tum cœperit (vt falsò exiſtimat ſuo errore excæcatus) ſed quòd ſubſiſtente materia, & occaſione occurrente confeſſariorum, exerta fuerit vis præcepti, vti tunc exeritur gladius, cùm præſente exercitu tuba ſonitum dederit. Sicque omnia conciliantur.

Fluctuare viſus eſt in hac parte beatus Rhenanus, atque vſque ad lapſum fermè inclinare, ſed non vſque ad peruicaciam & rebellionem: cùm cōfeſſionem dicat ſaluberrimam, ſi moroſitatem & ſcrupuloſitatem nimiam amputemus. Probat etiam Ioānis Gerſonis pietatem ac ſynceritatem in huiuſmodi dogmate. In cæteris autem, in quibus errare videtur eius docilitas ac lenitas, omnem excludens contumaciam, aliquam forſan merebitur excuſationem. Caluini autem ſeceſſio, ac ceruicoſa rebellio, non habet vnde ſuum aut tegat aut excuſet errorem.

Ex his apparet ſemper fuiſſe in vſu exomologeſin, non ſolùm publicam, immo verò clancu-lariam & ſecretam, etiam ſi non à ſingulis (vt hodie fit) executioni demandatam, non quidem defectu præcepti, ſed materiæ, videlicet ob ſacerdotum confeſſariorum inopiam, quæ tantæ multitudini ſufficere poſſet.

Quòd autem negant, ſecum etiam pugnantes, inficiatores hæretici illam fuiſſe in vſu temporibus Caroli Magni: id planè falſum eſſe apparet ex eiuſdem Caroli conſtitutionibus, vbi (repetita lege ex concilio Acyronenſi, quod vocari poteſt Ancyranum, aliâs Ancyritanum, dura & diſtricta pœnitentia iniungitur his, qui cum quadrupedibus contra naturam peccant, vel maſculam venerem exercent. Móxque ſequitur: Quapropter epiſcopi & preſbyteri, quibus iudicium pœnitẽtię iniunctũ eſt (quos hodie vocamus Pœnitentiarios) conentur hoc malum omnibus modis prohibere vel abſcindere. Sequens eſt, vt in vſu receptiſſimo haberetur clancularia accuſatio ſui, antequam quis deprehenderetur in ſcelere. Nam deprehẽſos in ſcelere, capitalis pœna manebat. Hæc ergo locum habere non poſſunt, niſi in clancularia confeſſione.

Excerptum eſt ex capitulari Aquenſi, regno Francorum Caroli vigeſimo: ex quo iterum liquidò conſtat, quòd ab initio erectarum in orbe Chriſtiano diœceſum, erecta fuerint officia Pœnitentiariorum: qui iuxta canones deſignatos, pœnitentias ſeſe clancularia confeſſione accu-

ſantibus,

ſantibus, cum iudicio & temperamento iniungerent. Hinc & illud caput Carolinæ legis, præſulum conſenſu declaratum: Qui in periculo cōſtituti ſunt, & conuertunt ſe ad Deum: vt canonicè inquirant reconciliationem, & canonicè reconcilientur. Et hæc reconciliatio clancularιam ſui accuſationem ſupponit. Et id pridem conſtitutum fuerat concilio Carthaginenſi primo. Quòd ſi rex ipſe Carolus confeſſario ſacerdoti clancularia cōfeſſione ſua ſcelera retegebat: quis iam dubitet ſubditos orthodoxos idem ſubiiſſe iugum? Atqui in diui Ægidij abbatis geſtis legitur, Carolum Aureliæ vocatum Ægidium exoraſſe, vt pro ipſo Deum deprecaretur, vt remitteretur peccatum, quod tam enorme rex exiſtimabat, quòd nulli ipſum vnquam confiteri auderet. Quis ergo in reliquis dubitet in vſu fuiſſe cōfeſſionem? Quid enim opus erat his precibus, ſi non exiſtimaſſet peccatum illud confeſſioni auriculari eſſe obnoxium? Eant nunc inficiatores, & ſuis impoſturis alios non circunueniant. Huius rei fidem facit in Ægidiana apotheoſi Baptiſta Mantuanus:

Prætereo, quonam pacto deleuerit illud
Grande nefas tibi, Francorum rex Carole, quod non
Auſus eras, tanquam nimium deforme, fateri.

De ſacramento extremæ vnctionis.

DVm tu Confirmationi, & ægrotantium vnctioni calumniam ſtruis: eandémque can-

Olei in ſacramẽtis vſum priſcum ex Tertulliano docuimus. Quid, quòd Dionyſius, (quem Areopagitam eſſe, ſuo loco demonſtrauimus abunde) hui⁹ ſacrę vnctionis proram & puppim graphicè depingit, Eccleſiaſticę hierarchiæ cap. 7. nomine ſacramenti decoratam. Sed ante eum diuus Iacobus vim conferendi gratiam illi tribuit, dum ait:
Iacob. 5. Si in peccatis fuerit, remittentur ei. At eiuſdẽ operæ eſt peccata auferre, & gratiam infundere. Id agnouit diuus Auguſtinus in ſermone de viſitatione infirmorum, his verbis: Cùm infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinẽ Chriſti, qui ægrotat, accipiat. Oleum benedictum (ecce de benedictione olei) humiliter à preſbyteris & fideliter petat: vt corpuſculum ſuum vngant, & impleatur in
Ibidem. eo quod ſcriptũ eſt: Infirmatur quis in vobis? Inducat preſbyteros eccleſiæ, vngẽtes eum oleo in nomine domini. Hac declaratione quid aperti⁹? Nec ob id credendum eſt diuum Iacobũ ſibi arrogaſſe tanti inſtitutionem ſacramẽti: verùm quod accepit à domino, tanquam præco, cæteris prænunciat. Quod & Auguſtinus annotauit, dũ ait: Si roges de te, & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus, immo per Apoſtolũ ſuum dominus: ipſa olei ſacri delibutio, intelligitur Spiritusſancti typica vnctio. Hęc Auguſtinus. Nam & Oecumenius ſuper verbo, Vngẽtes oleo, ait: Hoc etiã, domino inter homines adhuc cõuerſante, facie-
Mar. 6. bant Apoſtoli, vngentes ægrotos oleo. Meminit Innocentius Papa primus in epiſtola ad Decentium, dicens, Verba Iacobi eò referenda eſſe, vt fi

delibus

delibus ægrotantibus detur oleum, quo perungi poſſint, ab epiſcopo tamen confectum. Floruit autem Innocentius ante hãc ætatem plus annis vndecies centum.

Tu verò tuæ vęſaniæ blaſphemiam intermiſcens, ad ſolitas confugis artes. Hanc tibi ingenitam conditionem etiamſi quis expellat furca, tamé vſque recurret. Impinguatores per ſummam ſcõmatis iniuriam appellas hui⁹ miniſtros ſacramenti: vno eodémque ſucco loliginis & Samuelem Saulis vnctorem & Dauidis, quin & Apoſtolos ipſos, omneſque demũ Eccleſiæ proceres conſpergens. Hi enim omnes vnctores fuêre. Atqui ſatius fuerit vngere, quàm pungere: ægros conſolari, quàm obuium quenque atroci contaminare lœdoria. Et quas illi oleo fouent animas: tu ſæuiſſimo impietatis cultro dilanias, ac laceras. Quæ illi abigunt carcinomata: tu inſeris, foues, & auges. Sed confundantur omnes iniqua agentes, & dicẽtes ſuperuacuè: Interim nobis licebit & agere quod agimus, & imitari quos colimus. Tu tuas ſimiarias technas, craſſitiémq; blaſphemam tibi habeto. Effrõtes vocas Sorbonicos collegas, cùm ſis omnium bipedum impudentiſsimum portentum: baldinos & impios, ac planè ſtolidos, ipſe tu omnium cloaca maleficiorum & impietatum. Pari occaſione impinguatos & incraſſatos dicere audebis Chriſtianos, qui vncti dicuntur: qua impinguatores vocas, vnctionis ſacræ miniſtros. Quod an citra blaſphemiam proferre poſsis, ipſe videto. Pſal. 24.

De ſacramento Ordinis.

EXtra ordinem conſtituere nititur preſbyterij Ordinem, in omnibus & per omnia delirus Caluinus. Qui vt plures inueniat ſui delirij imitatores: ſtultorum, quorum infinitus eſt numer⁹, ſibi fauorem conciliare molitur, congeſtis in hũc ordinem multis conuiciorum portentoſis voculis. Sed omnia fruſtra, niſi quòd illatę per eũ atroces iniuriæ, nullo negocio in ipſum retorqueri poſſunt authorem. Recipit tamen voce ac verbo, quem facto deteſtatur, preſbyterij ordinem, ſacerdoti adimens Miſſæ celebrandæ poteſtatem: cùm tamen à Petro omnes pontifices modò conſecrationis Euchariſtiæ, modo verò celebrationis Miſſæ formam & tradiderint & probarint, & in his Anacletus Petro penè attiguus. Sic enim ait epiſtola prima: Epiſcopus Deo ſacrificans, teſtes ſecum habeat, & plures quàm alius ſacerdos: cum quo, peracta conſecratione, omnes miniſtri communicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus. Sic Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet eccleſia. Hæc ille.

Sed quid attineret diaconos delegiſſe & ſubdiaconos altari ſeruienteś, niſi ad ſacra conficienda & miniſtranda? Egnatius Apoſtolorum ſynchronus totus in hoc eſt, vt rei huius veritatem & digito indicet, & ad oculum demonſtret. (Vt interim de Dionyſio Areopagita ſileam.) In primis rei huius meminit in epiſtola ad Trallianos ex Smyrna, numero prima. Quid eſt (inquit) preſbyterium,

terium, niſi inſtitutio ſancta conſiliarij & confeſſoris epiſcopi? Quid etiam diaconi, niſi imitatores Chriſti miniſtrantes epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri: & operantes illi operationem mundam & immaculatam, quomodo ſanctus Stephanus beatiſſimo Iacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus & Clemens Petro? Meminit idẽ ordinum & numeratim & ſpeciatim in epiſtola ad Antiochenſes. Saluto (inquit) ſubdiaconos, lectores, cantores, oſtiarios, laborantes (qui aliâs acolythi dicendi ſunt) exorciſtas, atque confeſſores (quos vel pſalmiſtas à confeſſione laudis, vel certè exomologeſis ſuſceptores dicere poſſis.) De Euchariſtia verò ſic ait ad Epheſios: Obedientes epiſcopo & presbytero, frãgentes panem, qui eſt medicamentum immortalitatis, antidotũ non moriẽdi ſed viuendi per Ieſum Chriſtũ. Et ad Romanos apertiùs loquens ſic ait: Panẽ Dei volo, panẽ cœleſtẽ, panem vitæ, qui eſt caro filij Dei viui.

Et de diaconis ſic ait Polycarpus: Diaconi inculpabiles ſint in cõſpectu iuſtitiæ eius, ſicut Dei & Chriſti miniſtri, & non hominum.

Sixtus papa ſextus à Petro, præterquam quòd decreto vetuit ſacra vaſa contingi à laicis, conſtituit in Miſſarum ſolẽniis triſhagium illud decantari: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quin & hymnum angelicũ ſolenni cantu celebrari iuſſit die Chriſti natalitio paſtoribus denunciatũ. Quis hîc neget Miſſarũ ſolennia à priſcis Eccleſiæ patribus nedũ obſeruata, immo & promulgata poſteritati fuiſſe: quãdo & Põtian⁹ Papa à Petro decimusſeptim⁹,

edicto cauit magno honore proſequendos ſacerdotes, quoniam proprio ore corpus domini conficiunt, & populis tradunt?

Cornelius papa declarat ante ſua tempora præſcriptis verbis diſtinctos fuiſſe ordines epiſcoporum, preſbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum, acolythorum, exorciſtarũ, lectorũ, & oſtiariorum.

Felix Papa edixit ſupra memorias ac ſepulchra martyrum Miſſas celebrari.

Gaius pontifex ſingulatim ordines hierarchicos diſtinguit.

Nota. Vetuit Syluester, ne corporis Chriſti conſecratio fiat, niſi panno tantùm lineo, ſicut fuit in ſindone linea & munda ſepultum. Ex his omnibus Miſſæ ſacroſanctæ myſterium aſſeritur & ſacrificium, non tam recens inuentum, quàm ab Apoſtolis ad nos vſque deuolutũ. Iam dic impie Caluine, vbi nunc eſt fraus tua, quam euomere auſus es, dum ais, quòd vno verbo exufflare poſsis & proſternere omne preſbyterij miniſterium, quátum ad Miſſarũ celebrandarũ negocium attinet?

Caluinus. Tuam ipſius dementiam non conſideras, qui ais pontifices velle extrahere Spiritumſanctum è

Ioan. 20. cœlo, quoties his verbis vtuntur: Accipite Spiritumſanctum. Ergóne hunc extraxit Chriſtus ex

Refutatio cœleſti habitaculo, cùm ea ipſa verba pronunciaret? Si in teipſum deſcenderes, videns quid ex ſcõmatibus tuis elici poſsit: ſtatim in extimas tenebras teipſum detruderes. Sed tanta eſt in te ſcurrilitas, vt ex paſsione habitum feceris: quem tuis

viſceribus

uiſcerib⁹ infixum, inque naturam iam verſum diſcernere nequeas: ſicut qui à teneris veneno ſunt aſſueti, ipſum pro cibo aſſumunt.

Exuſflationem dicis, & digitorum vnctionem, eſſe commẽtitium inuentum: cùm non ſit res noua exufflatio, qua & Chriſtus ipſe vſus eſt. Quo exemplo vſa priſca Eccleſia, hanc ad nos deduxit traditionem. Alioqui docere debes, quis nouitio edicto illam inſtituerit. Quod cùm præſtare nequeas, fateri cogeris illam continuo vſu traditionem, facto potius quàm verbo ad nos fuiſſe deductam, fruſtra in lege non ſcripta ſcripturam requirens & exigens: vt ex Tertulliano ſuprà & Irenæo abunde docuimus. Idem de digitorum vnctione per priſcorum patrum traditionẽ vniuerſalis docet Eccleſia. Caluinus. Refutatio Ibidem.

Nunc extra orbitam diſcurrens veluti vinculis ſolutus phreneticus, tota via aberrans eò ſe cõuertit, vt ſi poſſit, ſuadeat propter interuenientia ſchiſmata non fuiſſe continuam prælatorum ſucceſſionem. Quaſi verò oporteat priore extincto pontifice, ſtatim & eueſtigio alterum alteri ſuccedere, aut quaſi accidens interregnum tollat ſpiritualem ab eccleſia poteſtatem. Semper adeſt ſuus Eccleſiæ ſponſus. Neque illud diuertit nos à propoſito, quo aſſeritur catholicam in eccleſia Romana vſque ad noſtra tempora in fide & morib⁹ perſeueraſſe doctrinam, ſiue ſedes repleta fuerit, ſiue per interregnum capite miniſteriali vacuata. Iam quæ in medium profers ſchiſmata: tam parum propoſito ſeruiunt, quàm calcariæ

carbonaria. Ludis operam, vacillans tanquam ebrius: currens in incertum, & tanquam aërem verberans.

De matrimonii ſacramento.

DE matrimonio, deque myſterij & ſacramenti ratione, de quæſtione repudij orta ex verbis Christi exceptitiis [niſi ob fornicationẽ] abunde diſſeruimꝰ in tractatu noſtro, De diuortio matrimonij Moſaici. Quæ omnia elidat Caluinus oportet, prius quàm audiatur à catholicis. Ideo hîc nihil dicam, ne actum agere videar.

Matth. 5.

In hoc tantùm illi ſaniorem deſidero mentem, vbi inſultat catholicis, quòd ex induſtria mutilum citarint Apoſtolum in Hebræis Paulum dicentem: Honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus. Addidiſſe (inquit) debuerant, In omnibus. ſubaudi, perſonis. Quod calumnioſe ſuppreſſum contendit. Sed ex hoc colligit, omnibus competere matrimonium, ſeu ſint illi voto adſtricti, ſiue non. Quid audio Caluine? Túne audebis dicere omnes, aut eſſe, aut debere eſſe coniugatos? Quid ergo dices ad verba Chriſti: Sunt qui ſe caſtrauerunt pro regno cœlorum? Quid ad Pauli: De virginibus præceptum non habeo, conſilium autem do. &, Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit? Reprehendéſne cœlibes, Eliam, Ioannem Baptiſtam

Hebr. 13. Caluinus. Refutatio Matth. 19 1. Cor. 7.

ſtam, martyres, confeſſores, virgines omnes: quod cùm debuerint colere coniugium, id facere contempſerint? Dices forſan: Non quòd debuerint, ſed iure poſſint & debuerint. Hoc verum eſſet de omnibus, quibus legitimè id competit. Nam ſunt, quibus præmatura ætas negat, aliis morbus frigiditatis perpetuus, ſed (quod potiſſimum eſt) fides voti Deo illibatè promiſſa. Vides quòd nec in omnibus perſonis honorabiles eſſent nuptiæ, quia ſcilicet illegitimæ forent. Cùm enim audis: Torus immaculatus in omnibus: illa eſt vniuerſalis politica, quæ excipit excipienda. Cœlum tegit omnia, non ſeipſum. Sic omnis parturit arbos: exceptis tamen arboribus aut effœtis, aut vitiatis. Sed & fruſtra calumniaris, cùm piorum omnium patrum conſenſu danda hæc ſit intelligentia verbo, quam mox proferemus. Illos potius te audire oportuit ſanctè interpretantes, quàm te loquentem & balbutientem: & ita balbutientem, vt neſcias neque quæ loquaris, neque de quibus enuncies. Sic tamen inclamas, vt Stentora vincere poſſis: ſed boatu magis ac confuſo ſtrepitu, quàm ſynceræ mentis ſano iudicio, ac perſpicua ratione. Clamore vincere contendis, ne ratione victus videaris.

Quid ſi hanc tibi ita interpretandi facultatem adimens, aliam ex ſacris doctoribus oppoſuero? Habes enim Oecumenium diuerſam nobis intelligentiam proponentem. Honorabile (inquit) eſt coniugium in omnibus. Non in hoc quidem honorabile, in alio verò non: ſed inte-

grè,perfectè, & omnibus modis honorabile & impollutum.

Cui alludens Chrysostomus,sic ait: Cùm posuisset honorabile connubium in omnibus : non dicit personis aut hominibus:sed,omnibus modis,partibus aut gradibus.Et torum immaculatũ ostẽdit,quò meritò inferat quæ sequũtur.Si enim connubium concessum est,iustè scortator suppliciis afficitur,iustè puniuntur adulteri.

Cui magna ex parte alludit Theophylactus,ita dicẽs:In omnibus,id est,quibusuis modis,& omni tempore,passim,& cunctis in rebus,honore dignũ est connubium:non tamen in omnibus personis,sed ab omnibus, vel apud omnes laudabile. Nam & ipsi quoque cœlibes, nuptias in coniugatis laudant propter torum immaculatum: vituperant autem adulterinos fornicarióſq; complexus.

Hanc sententiam fouet Epiphanius cõtra Apostolicorũ hæresim,hæc ad verbum reponens : Sãcta Dei Ecclesia nuptias quidem habet reuerendas,& colit has.Nam venerabiles sunt nuptię,& lectus impollutus.Habet continentiam in admiratione,& laudat talẽ:quoniam certat certamen, & contemnit vitam velut adhuc potentior. Habet virginitatem,& magnificat talẽ velut virtuosam , & penna leuissima ornatam. Habet, qui renunciauerunt mundo:& non inflatur contra eos qui adhuc in mundo sunt:sed gaudentes talibus, velut etiam Apostoli,qui & ipsi nihil possidebãt. Et ipse saluator omnium dominus, cùm in carne

esset

esset, nihil ex terra possedit: sed non reiecit mulieres, ipsi & discipulis eius ministrantes. Dicit enim: Quæ sequutæ fuerant ipsum à Galilæa, ministrantes ipsi & discipulis eius de propriis bonis. Idémque paulò mox sic habet: Oportet & traditione vti. Non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus Apostolus: Sicut tradidi vobis. Et alibi: Sic doceo, & sic tradidi in ecclesiis. &, Si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradiderunt itaque sancti Dei Apostoli, peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Et scripsit Apostolus: Si nupserit virgo, non peccauit. Quomodo igitur hoc cum illo concordat? Immo etiam illam virginem dicit, quæ nõ est dicata Deo: sed propter penuriam raritatis in illo tempore eorum qui in Christum credebant, necessariò sic fiebat. Et quòd hæc sic se habeant, docet nos idem Apostolus, dicens: Iuniores viduas reiice: postquam enim lasciuierunt contra Christum, nubere volunt: habentes iudicium, quòd primam fidem reiecerunt. Si itaque & ea quę post mundi experiẽtiam vidua fuit, atque deo dicata, & postea nupsit, iudicium & cõdemnationem habebit, quòd primam fidem reiecit: quanto magis quæ citra mundi experientiam Deo dicata virgo fuit, & nupsit: contra Christum lasciuiit, & maiorem fidem reiecit, & iudicium habebit, velut quæ proprium erga Deum propositum relaxauit? Hæc Epiphanius.

Ma 15.
1. Cor. 11.
Ibid. 14.
Ibid. 15.
1. Cor. 7.
1. Tim. 5.
Cœlibat' hîc probatur.

Quomodo verò poſſet eſſe matrimonium omnibus honorabile, quod in profeſſis viduitatem

1.Tim.5. vituperatur à Paulo, de quib⁹ ait: Nubere volunt habentes iudicium, quòd primam fidem irritam fecerunt: illam videlicet, iuxta Tertullianũ, à qua in viduitate inuentæ, & eam profeſſæ, non perſeuerant. Quin & idem ipſe author eſt, non in omnibus perſonis laudari coniugium: qui tractatu De ieiunio ait, quædam ab homine Deo oblata, votum expunxiſſe. Nam votum cùm à Deo acceptatum eſt, legem in poſterum facit per authoritatem acceptatoris. Exinde enim faciendum mãdauit, qui factum comprobauit. Non eſt igitur honorabile coniugium his, qui vouerunt cœlibatum. Huc ſi admouiſſes oculos, te (niſi planè demens eſſes) tui lapſus erroriſque puderet, vaniſſimique huius in hac parte commenti.

Nolim ego nauſeam parere pio lectori in anxiè repetendis conuiciorum portentis, quibus vſque ad ſummum orificium redundat cloaca iſta fæculenta Caluinus. Nimis enim foret operoſum ſingula coaceruare, & ea omnia cumulatim recenſere, qualia ſunt ex plurimis pauca ſelecta, Ces ruſtres, Ces miſſotiers, Ceſtes preſtrailles, Ce ſacrilege de la Meſſe, Ces cornuz & cete. In his ſcilicet ſuam ingenij ſui ad maledicendum fœcunditatem, mirè ſibi placens, oſtentat portentum hoc hominis Caluinus: quæ mihi mutuatus videtur à lenis quibuſdam ac lenonibus, dum in ſuis œnopoliis, thermíſve, aut fornicibus ſua ſeria fantur ad ignem.

Ad

Ad hæc quid dicendum? Quid? niſi quod ſcriptũ eſt: Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant, iudica illos Deus. De Caluino verò: Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium. Pſal. 5. Prou. 18.

Pro eo autem quòd ſingulas Canonis partes ferociter & atrociter laniat, diſſecat, dentibus atterit, & quãtum anniti poteſt, deuorat: non eſt huius ocij vltrà immorari. Tantùm illi opponã non infimæ claſſis authores: quibus reſpõdeat neceſſe eſt, ſi quã velit à catholicis expectare fidem (ſiqua tamen fides eſt errorum ſociis, ſchiſmatúmque conſciis ac ſeditionum.) Tutati ſunt ſacrum Miſſæ Canonem, congeſtis in vnum priſcorum omnium patrum ſẽtẽtiis, Empſerus aduerſus Zuinglium, contra OEcolampadium Ambroſius Pelargus vir doctus & elegans, aduerſus Muſculum Cochlæus, cõtra verò Bucerum perſonatum clerus Coloniẽſis primi gradus in Antididagmate, contra eundem larua retecta Ekius antagoniſta indefeſſus, aliíque complures: quorum catalogum diſcere poterit pius lector ex Cochlæo aduerſus Muſculum. Sententias patrum toties refuſas huc tranſcribere, inque his recenſendis tempus fallere, nimium ceſſantis foret operæ. Ad hos velim recurrat orthodoxus. His neceſſe eſt reſpõdeat Caluinus, ſi quid velit in hoc promouere negocio. Iubebo alioqui eum cæpas edere, atque in antri ſui denſiſſimas latebras ſecedere.

Sed quis credat eo inſaniæ deuenire potuiſſe ſe-

ctam Valentinianam, Marcionistam, atque etiam Cataphrygam, ac Nouatianum, Caluinúmve: vt tandem asserere auderet, nullum à multis iam aut diebus aut annis in toto orbe catholico superesse Episcopum? Quid illi commodius desideres, quã hellebori copiam, cui nec tota sufficiat Anticyra?

Quòd autem cessantes incuset, & abrogatarũ electionum incommoda recenseat, Simoniacam pestem condemnet: tantum abest vt reprobem, vt illi hoc nomine gratias agam: modò ne omnes his laborare vitiis, qui toto orbe Christiano dispersi sunt antistites, temerè asserere audeat: aut eos è gradu præsulatus eiectos peruicaciter contẽdat. Possunt enim esse præsules, & peccatores. De simoniacè ingressis nolim refragari. Cunctis nota est simoniæ distinctio, & quid in ea re possit, quídve non possit, summi Pontificis dispensatio. Cùm ergo præsules sui admonet officij: illud tãtùm habeo in promptu, quod dicam: Deus
Psal. 66. misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam suam, & in omnibus gẽtibus salutare suum. Illuminet inquam oculos
Psal. 12. nostros, ne vnquam obdormiamus in morte: nequando dicat inimicus, Præualui aduersus eos. Interim beati Iob in mediis tentationum vorticibus fluctuantis fruemur exẽplo: qui semper apud Deum accusator sui, apud riuales tamen suos, suam, quantum liceret, tuebatur innocentiam. Quo fit, vt apud Deum nullus nobis supersit excusationi locus. Non tamen negauerim aliquid defensio-

defenſionis ſupereſſe aduerſus calumniatorem. Si de perſona agitur, non reſpondebimus vnum pro mille. Si de cauſa: bona ſpes eſt, quòd iudicet nonnunquam dominus cauſam iſtam de gente non ſancta: & pacatus aliquando, ab homine iniquo & doloſo ſuos eripiat, alioqui inutiles, ſeruos. Pſal. 42.

Quòd autem gloriaris te tertium è cœlo cecidiſſe Catonem, qui fœlicia ſecula reddas, quæ te moribus noſtris oppoſuerint: vide quàm ſis tibiipſi Suffenus, qui in tuum ſinum conſpuens, cæteros reſpuas & expuas. Vnaquæque arbor à ſuo fructu cognoſcitur. Lucæ. 6.

Nemo, niſi infidus, habitat deſertor apud te:
Nemō operam peius, deteriuſve locat.

Iam tu, ſi mihi nolis, tibi ſaltem vide Caluine: dum iſthæc tã putida impuráque ſputamina, plus cẽties vſque ad nauſeam repetita, reſorptáque, ac deinde refuſa, exgutturas & euomis, quot quantáve nec capere poſsit turpe Rauennatis guttur onocrotali.

Quam tibi reliquam facias de charitatis opinione ſcintillam? Nemo charitatem ſine vnitate apprehendere poteſt. Tu verò, quod in te eſt, turbas excitas toto orbe Chriſtiano vix extinguibiles: niſi extincto ſerpente ſimul pereat venenum. Quàm libens, ſi vires animo reſponderent, commoueres cœlum & terram, mare & aridam: & flectere cùm nequeas ſuperos, Acheronta moueres? Sed hæc omnia malo tuo maxi-

mo. Tam abes à charitate, quantum polus imus à
1.Cor.13. vertice ſummo. Charitas, cùm duriora ingruunt, in præſens patiens eſt: in futurum bene ominatur, quantum fas & iura ſinunt: ideóque benigna eſt, candida, & tranquilla: & vbi omnia deſunt, longanimis. Tu contrà, omnia ſæuiſſimè interturbans, nihil niſi hoſtile meditaris: nihil non minarum ſpiras, & cædis aduerſus diſcipulos domini. Charitas, dum lætiora emergunt, tantum abeſt vt æmuletur, vt parata etiam ſit gaudere cum gaudentibus. Tu verò in hoc ſolùm incumbis, & propenſiſſimè inclinas, vt gaudeas aliis flentibus, eíſque gaudentibus plores, tanquam ignem ex ſilice expromens. Omnia, quoad poteſt, charitas ad decorum trahit & honeſtatem, non enim agit perperam. Tu contrà, candida in atrum conuertis, non in hominibus tantùm, verumetiam in ſacroſanctis Eccleſiæ ſacramentis. Charitas nihil ominosè, candidè omnia (quantum res ſinit) credulè interpretatur: quod ſi nequeat, bene tamen ſperat rem vertendam in melius: ſi verò neque id patiatur recens nata occaſio, quæcunque poteſt ſuſtinet. Tu omnia deſperas, de omnibus diffidis, ad omnia furibundus perſtrepidis, téque tuóſque crucias: omnes ordines, ſtatus, conditiones ſine delectu temere tangis & angis. Cætera vt ex Paulo proſequar: charitas minimè procax eſt & proterua. Tu verò (id quod negari non poteſt) es omnium procaciſſimorum proteruiſſimus, & proteruiſſimorum procaciſſimus. Quæ tua procacitas, vt ad oculum

lum cernere est, omnem omnium scurrarum petulantiam superat. Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Sycophantia verò tua nihil magis habet in deliciis, quàm erroré fouere, & impietatem, illíque arridere: veritatem autem orthodoxam nunquam non arrodere, aut certè (quod amplius est) eam canino, aut (quod idem sit) Caluino dente, dissecare, ac dilaniare. Cuius rei fidem facturus, vnum ex multis exéplum colligam: illud nimirum, quo persuadere niteris omnibus, ex æquo concessam fuisse à domino seu conficiendæ seu sumendæ Eucharistiæ facultaté. Sed id tam impudenter ac stupidè, vt nihil stupidius aut cogitari possit, aut audiri. Paulus (inquis) omnibus Corinthiis cœnā dominicam celebraturis, nullo status sexusve delectu celebrandæ cœnæ modū tradens, Christi verba in sua cœna recumbentis deintegro recésuit. Ex quo argutulè colligis, omnibus tam laicis quàm muliercu- lis æquam cum Apostolis & presbyteris collatā fuisse potestatem. Quasi verò verba narratoria, & dispositiua ad eosdem referantur. Narrat Paulus quid dominus egerit cum Apostolis, duo scilicet recensens: datam presbyteris potestatem conficiendæ Eucharistiæ, ac deinde necessitatem eandem Eucharistiam sumendi non indignè. Vtrunque Apostolis competit atq; presbyteris: quibus sic congruit, vt sumāt, & dent cæteris. Quod autem ad laicos spectat, eo loco præcipuè disponit de ratione scilicet manducandæ Eucharistiæ, genus contrahés ad speciem, seu totum ad partem. 1. Cori.11.

Ibidem. Ait enim: Iam non eſt dominicam cœnam manducare. Rurſum: Si quis eſurit, domi manducet.
Ibidem. Tandémq; ſcopum attingens ex recenſitis Chriſti verbis, omnia ad manducationem referens, quæ laicis competit, ita concludit: Probet itaque ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Hic nihil de conficienda Euchariſtia, ſed potius de manducatione, quę omnibus etiam laicis competit, diſponitur: vnum ſupponens in cœna factum, cui ſoli aſsiſtebant Apoſtoli, non laici, non mulieres: aliud diſponēs, & decernens ab omnibus obſeruandum, etiam laicis. Ac per hoc eliditur ſtupida & inepta tua argutiola, qua ais: Quod CHRISTVS Apoſtolis dixerat, Paulus recenſet Corinthiis. Eſto. hoc enim fecit narratiuè. Ergo & hoc ipſum competit omnibus laicis? Falleris. Latius enim ſe extendunt verba narratiua, quàm diſpoſitiua. Tu verò niſi omnino cæcus eſſes & ſtupidus, vnum aliquem ex maioribus noſtris ab initio naſcentis Eccleſiæ proferre debueras: qui hanc, quam proponis, intelligentiam aliquando vel de ſomnio cogitaſſet. Ego verò tibi oppoſui omnes & pontifices & doctores, quorum monumenta extant: immo & ritum Eccleſię continuum, quo conſtat, non omnibus eſſe communem conficiendæ Euchariſtiæ rationem, quēadmodum & ſumendæ. Cui ſententiæ rituíque perpetuo innititur Decretalis, Noua quædam. de pœniten. & remiſſionib. Et tamen non erubeſcis te tuáque iumēta ſola putreſcere in errore & ſter-

core

core tuo. Si fuisses orthodoxæ veritatis ita inuestigator, vt osor, Pauli mentem probè apprehendisses. Tu verò (qui tibi perpetuus mos est) præposterè malis arridere iniquitati, & arrodere veritatem, quàm cõgaudere inuentæ, aut inueniendam exquirere.

Denique contrà quàm Paulus admonet, nusquam non calcitras, vbique cespitas, nunquam non excidis, semper in lubrico positus: quum tamen charitas nunquam excidat. Nec cùm te existimes stare, perpetuum lapsum attendis: aut vbi iam prostratus sis, consideras. Quocirca si dederis cibos tuos omnes (si tamẽ aliquid habes, quod non prædatus sis à iustis olim possessoribus orthodoxis) in vsus pauperum, qui modò veri sint pauperes: quin & si corpus tuum (id quod iampridem meretur) dederis ita vt ardeat: te nihil esse fatearis oportet, aut si quid minus est nihilo. Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus: nihil aliud cuiquam persuadebis, quàm quòd sis velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: & ea parte quidem deterior, quòd illa aures leniunt ac delectant: tu verò nihil aliud quàm sæuum, crudele, horrendúmque resonas, & omni ex parte pœnitendum. Et hæc est (vt exitum tandem res inueniat) tua, Caluine, canina feritas potius, quàm charitas. Id quod ex his quæ mox sequentur, singulatim digitali apparebit indicio.

1.Cor.13.

Ibidem.

Hoc vnum tibi tantùm deesse videbatur, quod ad consummatum, ac (vt sic dicam) cataphractæ militiæ hæreticum pertinere cunctis perspicuum

eſt: vt virulenta conuicia, aculeatáque ſcommata more ſcorpionis in caudam conijceres: vt quos ratione vincere nequeas, obruere ſaltem coneris maledictis. Has eſſe hæreticorum partes diuus Maxentius his verbis docet: Hæretici, cùm probatio deficit, ad conuicia ſtatim conuertuntur: & quum reſiſtere non poſſunt doctis, ad fallendos ſimplices ſe accommodant. Quos ſi allicere nequeant, aut liuorem in eis cauſantur, aut ſuperbiam. Hac certè in parte ſtrenui in maledicendo ſycophantæ functionem ſibi delegit Caluinus: vti ex his quæ mox dicturi ſumus, luculenter apparebit.

ADVER

ADVERSVS VIPEREOS *Caluinicæ ſycophantiæ morſus malagma præſentiſſimum.*

EFFLVXERVNT menſes aliquot poſteaquam tædioſo huic negocio manum extremam impoſuiſſe me exiſtimaſſem: cùm derepentè aduolauit quiſpiam, qui mihi volumen porrexit execrationibus, blaſphemiis aduerſus ſacramenta, omnéſque ordines ſacros, plauſtríſque conuiciorum ac contumeliarum onuſtum. Qua in re, & ſe, & alios ſcurrilitate & ſycophantica obiurgatione Caluinus ſuperauit.

Plura quidem ex his, quorũ notitia per Cochlæi excerptiones ad me peruenerat, confutata ſunt. Reliquum eſt ex tam infœlici meſſe ſpicilegium aliquod facere, & in faſciculos zizaniam colligere, nulla re magis quàm incendio dignam. Coniecit Caluinus, more doloſi & venenati ſerpentis, ſuorum virus conuiciorum in caudam. Reſtat quàm breuiſſimè fieri poſſit, ne tædium pariat prolixitas, Laconicæ cuiuſdã breuitatis vmbone in ipſum authorem illatam retorquere iniuriam: vt in expuentis faciem recidat, quod petulanter in alium expuitur: à tergo interim relictis verborum obſcœnis lenociniis ac ſcurrilitatibus, quas nec impudentiſsimum ſcortum in medio etiam

prostibulo secretò in aurē effundere, salua fronte, auderet. Et ea tamen literis committere non erubuit impudentissimus scurra Caluinus. Illa sibi solus habeat, inque proprium sinum effundat, si talibus frui deliciis eum delectat.

Primùm itaq; vbi inuidiosè & planè sycophanticè contendit me ad blasphemias tuendas perpetuo vsu esse assuetum: id mihi dixisse satis sit, me hactenus non esse consciū huius, quā falsò imponit, impietatis. Nihil enim, quod animaduertere possim, hactenus tutatus sum, quod pietati ac religioni aduersetur. Super qua re cuiusuis verè catholici legitimam censuram vehementer expeto, & sitienter expecto.

Iam de nominis atque etiam cognomenti nomenclatura apud hunc impostorem respondendum: quāquam rei huius author non sim. Si quid igitur reprehendendum erat, cuius tamen rei nullum extat indicium, agendum erat cum authoribus ipsis. Neque enim ipse mihi aut nomen indidi, aut cognomen. Quin & genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto. Nihil tamen cunctabor in ea causa cōferre pedem. Robertus vocor, cognomento Cœnalis appellatus, indignus Arboricensium minister, Sorbonicorum mystarū inter Theologos minimus. Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me
1.Cor.15. modica non fuit. Tantum abest, vt hanc deprecari, aut subtegere velim gratiam, vt eam etiam pro maximo lucro perpetuò habeam.

Quòd senio laborem, & (vt impostor ille ait) etiam

etiam ſomniculoſo: Deo gratias habeo immortales, quòd me ad ſenium perduxerit hucuſque incolumem. Alioqui neceſſe erat, me aut pręmatura morte finem feciſſe viuēdi, aut ad ſenium peruenire. Quòd ſi tam graue malum illi videatur ſenectus, det igitur locum ſanctis priuſquam ſeneſcat. Ad quam ille peruenerit ætatem, neſcio. Vnum ſcio, ſexcēta hominum millia plus cordis & mentis habere in quantulacunque ſua ætate, quàm ille ex ſuis ſcriptis oſtendat. Illud dicere cū bona piorum venia auſim, quod ſentire aliquando poterit, me neque omnibus, neque ad omnia dormiiſſe.

Sed de Cœnali me facit cœnatorem, cùm tamē neſciat quàm multa quantáve paropſide cœnem. Non inuideo illi ſua ſympoſia in reconditiſſimis thermarum receſſibus, vſque ad vomitum quandoq; forſan celebrata. Ille mihi meam, vti & ego illi ſuam, cœnam celebrandam relinquat. Quid autem ſi mihi cucurbitæ nomen indidero, vt quidam dicere ſolebat? Immo quid dicturus ſit apud eos, de his qui Senalis cognomentum per S, ſcripſerunt, ſi pro Senali Senatorem dicerent? Inuideret, ſat ſcio, huic fœlicitati. Sed hæc riſu excipi velim. Optauerim ego & dici cœnator & eſſe, ſed illius cœnæ, de qua ſcriptum eſt: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. illius exemplo, qui ait: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. Beati enim ſunt, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt, vt ait Ioannes in Apocalypſi: quāto magis & cœnatores? Nolim tamen

Lucæ 14.

Ibidem.

Apoc. 19.

Caluinatium accumbere mensis, quibus illud cõ-
1.Cor. 11. petit: Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisq; enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Nam & ipsi sibi nouos ritus effingunt, præter venerandæ antiquitatis receptissimos ritus. Quin
Ibidem. & aduersus illos sequitur: Dum autem conuenitis, alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Atque vtinam vel vnus saltem ex eis sobrius accederet. Eam enim statim, si sobriam adferret mentem, respueret. Nobis autem non licet nostræ acc̃ubere cœnæ, nisi sobriis, ac plena inedia (quod naturæ ieiunium vocant) ieiunis. Quid quòd in sacrosancta illa cœna dominica, in agonis Christi priuilegio, Apostoli omnes vnà cum Christo domino fuere cœnatores? Iam non est vnde cœnatoris nomen ei displicere debeat.

Verùm, quid si legem passus quam ipse tulerit, paria recipiens, audiat pro Caluino reiecta litera longa, quæ eius ceruici imminet, vno tantùm mutato apice, Caninum: vt resumpto l, elemento, dicatur Caninus latrans? Nam & res ipsa caninam eius rabiem apertè demonstrat.

Sed & quandò mihi licebit vti communibus armis, quis prohibet Caluiniæ nomen transmutare in calumniam? Et quum à caluo deducatur Caluinus, vafritiei tesseram habet, trito apud omnes adagio:

Si fraudem metuis, fugias consortia calui.

Hic tibi oppono vafritiem, Caluine, tuam, non tãtùm ex allusione nominis, verùm & ex tuorum

morum

morum improbitate, & ex impuritate ſcriptorũ: vt non iam Caluinus, ſed caluiſsimus, hoc eſt vaferrimus & aſtutiſſimus apud catholicos omnes & ſis & habearis. Iam enim multis paraſangis vicit tuorum morum inconſtantia nomen.

Et quandò hanc etymi viam ſumus ingreſſi, Calfurnium à calido furno dictum ſciũt omnes. Quis igitur vetet, quòd vinum phalernúmve caleat, dictũ fuiſſe Caluinum? aut certè hiſtrionem Caluinicum, quem vulgus appellat Bateleur de Chaulny? Tu verò an caluus ſis, an recaluaſter, neſcio. Vnum ſcio, Beatos aut fuiſſe aut futuros crines, qui quantocyus tuum omnibus piis execrandum cranium deſeruerint.

Vt autem exitum aliquem res iſta inueniat: ſum fateor Robertus, Cœnalis cognomento, conditione Theologus, & in Theologorum cœtu minimus, præſulis functione indignus, ſenio & ætate (vt ne aliud dicam) prouectus. De memoriæ aut lapſu, aut conſtantia, ad præſens nihil attinet dicere aut indicare. Neque enim meipſum iudi- 1. Cor. 4.
co. Qui autem iudicat me, dominus eſt. Tu verò es ſignorum tuorum deſertor Caluinus, iudicij in alios vſurpati nulla legitima inſtitutione tibi cõſcius, refuga impius, ſcurra impudentiſſimus, bonorum omnium dogmatum euerſor, nullius aut pietatis aut religionis aſſertor. Huius rei ſi quis probationem exigat, cœlum & terra teſtes ſunt. Euidentia enim patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris.

Hoc ego túque ſumus: ſed quod ſum, non potes eſſe.

Tu quod es, è vulgo (immo, vt ſic dicam, ex Erebo)
quilibet eſſe poteſt.

Atque vtinam nemo vnquam reperiatur, qui talis eſſe aut velit, aut valeat. Hactenus de nomẽclatura diſceptatum ſit.

Deſine iam inde Magiſtri noſtri nomine abuti, ſeu seriò, ſeu id ioco facias. Magiſtros vocas, quorum non vis eſſe diſcipulus, immo potius ex profeſſo hoſtis: id quod Phariſæis Chryſoſtomus improperat. Nemo eſt, qui te diſcipulum ſibi eligat, niſi Antichriſtus, aut planè Antichriſtianus.

Quòd autem in eccleſiaſticam hierarchiam innumeris conuiciis, probríſq; minimè tolerandis, (quantum in te eſt) tantopere inueheris: tu ſi hîc eſſes (niſi ferociam deponeres) aut aliter, aut certè aliud ſentires, nempe vltrices flammas, & condigna tuis impietatibus ſupplicia.

Dicis me in vmbra aut tenebris gladium ventilare. Ego verò, quod veriſſimũ eſt, dico: non in vmbra, ſed in vmbrã me tela cõiicere, in te videlicet, qui non tam homo es, q̃ mera hominis vmbra.

Iam id ſummæ laudis vice recipio, quòd me inſimules væſaniæ cum epiſcopis, deliriíque ac dementiæ cum Theologis. Quis enim (niſi tui ſimilis) delirus ac demens non malit eſſe Saül inter prophetas, quàm inter tuos Caluinates Salomon: intérque pios deſipere, quàm ſapere, immo potius bruteſcere cum porcis? Cui deſipit ſpiritus, ſapit caro. Contrà, cui ſpiritus ſapit, deſipit omnis caro. Hoc ipſum eſt ſapere, cum procerum Eccleſiæ ordinibus ſentire. Et Theologorum cõ-
ſenſu

ſenſu probari, nihil aliud eſt quàm probum eſſe. Magnum ſiquidem eſt probari à probis, & à doctis commendari. Principibus enim (in ſua potiſſimum arte) placuiſſe viris, non infimæ laus eſt. Cõtrà verò, à tuis laudari (vti ſuprà teſtatus ſum) obſcuri nominis ſummæque impuritatis indicium eſt. Mirum autem, vnde anſam cauillandi arripueris, niſi ex mera calumniandi libidine: quòd author ſim, aut aliquãdo fuerim, cumulatim congerendorum beneficiorum inexhauſtæ cupiditatis: quòd ſcilicet tribeneficiarius aliquis me authore aut conſule aliquando fuerit, tantum abeſt vt mihi venerit in mentem, vt à paucis abhinc aut diebus aut annis, nõ priuatim modò, verùm etiã publicè, & quidem in cœtu toto orbe celeberrimo dixerim, & vſque ad rauim promulgarim, nihil magis neceſſarium ad reſtaurandam tuendámve prolapſam Eccleſiæ diſciplinam, quàm paſtorum reſidentiam, præſentiámque penè aſſiduam. Quæ res locum habere non poſſet in tribeneficiario, vt vocas. Quod ergo mihi falſò imputas, apertè commentitium eſt. Sed tuus eſt iſte, Caluine, genius, vt ſi nihil aliud poſſis, arenam etiam ex fundo maris libenter extrahas, qua oculos aduerſariorum offendas.

Pronuncias, vel potius effingis, pro tui ingenij ad concinnanda mendacia propenſiſſimi fœcunditate, caninàque facundia, me forſan hauſiſſe inter tabernas ſeu œnopolia à quodam congerrone ebrioſo, vt fieri (inquis) ſolet: (verum id quidem apud vos in hypogæis ac thermis veſtris)

quòd factionis veſtræ hęretici, interimenſes conditiones (quod tamen tu conſtantiſſimè pernegas) aut petierint, aut deſiderarint.

Ad hæc tibi ſingillatim reſpondeo. Tu tuas tabernas meritorias tibi habeto, thermáſque, ſi mauis, nihil aliud, quàm temetum, aut quoduis aliud poculum tollens de cardine mentem, olentes. Ego contrà obiicio: aut nullas aut raras eſſe Bononiæ, vbi ea quæ repono, didici, meritorias tabernas, præter peregrè proficiſcentium diuerſoria. Comeſſationes, quæ tuis forſan Caluinatibus peculiares ſunt, aut rarę, aut nullę. Quòd ſi etiam eſſent frequentiſſimæ (quod res ipſa diffitetur) mihi non tantum ſuppetebat ocij, vt illas inuiſere potuiſſem. Hoc igitur eſt tuũ commẽtum tua incude percuſſum. Vnum hoc teſtatum velim, me nihil tecum contendere velle ſuper re Interimenſi, quod ad diſciplinæ Eccleſiaſticę decorem candorémq; pertineat. Sus non olet roſas. Intus exiſtés prohibet extraneum. Cum catholicis mihi res agitur, non cum coniuratiſſimis hæreticis. Mutare non poteſt, aut certè non vult, Æthiops pellem, aut pardus varietates. Nulla eſt con-
2.Cor.6. uentio luci ad tenebras, nec portio fidelis cum infideli. Tantùm moneo proceres eccleſiaſticos, ne quod interim permittendum videtur, cedat in perpetuam non ſine futuro ſchiſmate diſciplinæ eccleſiaſticæ perniciem.

Cætera ſuis locis digeſta expreſſi. Si igitur nec admittis Interim, neq; admittédum cenſeá, mirũ eſt non bene conuenire nobis: niſi ꝙ quæcunque manu

manu dextra offeruntur, omnia ſiniſtra excipis: ac veluti harpyia quędam, quęcunque oblata, vnguibus tuis recuruis & aduncis dilanias, diſſecas, diſcerpis. Homo non niſi ad obiurgationes conuiciáque atrociſſima natus, niſi fortè ipſam quoque exueris humanitatem. Legi apud Cochlæum nonnullos ex tuis hæreticis ſparſiſſe in vulgus quoſdam Interimenſes articulos, qui propediem ſperarentur edendi in quibuſdam comitiis. Ipſiſſima verba citaui, deſignato etiam anno, & (vt ſic dicam) die & conſule id tantùm recenſui. Lege quod dico, & experieris nihil mihi in auré fuiſſe ſuggeſtũ: & tum ſpero deſines tandé ſibilare vipera, ſi fortè aliquis ſuperfuerit in fronte pudor. Illud tantùm nunc pronuncio, me non accedere promulgationi Interimenſiũ inſtitutorũ: ſed longè alia, quàm tu velis aut cogites, ratione. Tu appellas à maiori, ego verò à minori. Nihil enim vobis permitto eorum quæ ad tempus vobis conceduntur: ne ex huiuſmodi indulgentia, grauis inter catholicos ſeditio oriatur: his fretus rationibus, quæ illic proferuntur. Sed nec vos digni eſtis ea, quæ vobis proponitur, indulgentia, & eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxatione.

Aliud comminiſceris figmentum, vt implacabili & irrequieto animo tuo aliquid ſaltem fométi ſuggeras: quòd compegerim farraginem aliquam ex Poëtico penu depromptá, ex cuius præſcripto, tanquam ex parata pharetra, eos quos paſſim conſpergo verſiculos, veluti analecta quędam emittam & effundam. Nunquam mihi tan-

tum ocij ſuperfuit, vt huic negocio inſiſtere poſſem. Quanquam nec id quidem vitupero, quod etiam in ratione ſtudendi, viri & docti & elegantes neutiquam improbarunt. Sed quid tua intereſt ſuper his rebus digladiari? Id pro tuo more facis, non tam curans quid dicas, quàm vt dicas: immò vt conuicieris, & obiurges. Ego id quod res eſt dicam. Quoties ruſticor, aut peregre proficiſcor, carens voluminum peculari ſupellectili, breue aliquod enchiridion aſſumo in manus: lego, relego, memoriæ alioqui tenuiſſimæ ſaltem fruſtillatim aliqua commendo. Vbi verò præſens ſeſe offert occaſio, ſi quid fœliciter menti occurrit, pro data occaſione mitto in literas. Hoc dicens, non te deligo iudicem neque cenſorem. Exilium enim tibi deligens, tanquam fera aliqua in antrum tuum te recepiſti. Nonne vt iudices? Nemo te catholicorum iudicem appellat. Tu tuis ius quãtumuis per vſurpationem dicito, tuis inquam feris Caluinatibus, quarum es archimandrita. Et vti de Æolo Poëta refert, ita tibi per me facere licebit.

Tenet (inquiens) ille immania ſaxa
Veſtras Eure domos: illa ſe iactet in aula
Æolus, & clauſo ventorum carcere regnet.

Id quidem (quod ad rem præſentem attinet) mihi vt primùm venit in mentem, citra vllius aut lectionis aut collectionis operam impræſentiarũ retuli. Id ſi tibi diſplicet, ne legito. Auerte oculos tuos, ne videant carminum quantitatem. Nunquam ſuper ea re tecum contenderim. Habet ita-

que

que huius facti satisfactionem (de te nihil curo quid sentias) cādidus lector. Cuius etiam facti rationem alio ædidi loco, ex Hieronymi, Augustini, atque adeò Paulini, Bernardi, Iuuencique, ac Prudentij, non prorsus contemnēda imitatione. Proinde super his quæ hîc regero, iudex non indignabitur æquus: scriptáque cum venia qualiacunque leget, si non tanquam rem seriam, animi saltē leuandi gratia. Sunt enim interponenda suis nōnunquam gaudia curis.

Proximum est, vt respondeam ad id quod improperas, feli me comparans (cùm sis ipse cista fellis, amaros tantùm succos retinēs, vtiliores verò à te ablegans) quòd semper in pedes recidat. Id certè non diffitebor. Hoc enim accidit ex vtili & commodo naturæ beneficio, vt semper cadat id genus animantis in proprios pedes, siquando ipsum ex tecto aut delabi aut detrudi contigerit. Immò aliud vulgo probatur, inque prudentiæ albo reponitur, quoties dicimus Hominem non cadere, nisi in pedes proprios. Cautus enim & circunspectus habetur, si quis dum labitur, non cadat nisi in pedes. Hîc quid sinistri augurari possis, non video: etiamsi sis ad sinistra auguria ingeniosissimus. Scriptum enim legimus: Fili hominis sta supra pedes tuos, & loquar tecum. Suspicor tamen scomma istud eò vergere, vt intelligas de pedibus ad mensuram carminis spectantibus. Sed id nihil habet cum fele cōmune. Esto (vt ais) in pedes recidam, tu verò semper in vngues dentésque venenatos, vt qui etiā pro dētibus gladios

Ezech. 2.

habes. Vt autem quod ſentio dicam: tecum conſultius ageretur, ſi huiuſmodi animãtis naturam imitareris. Hoc enim eſt illi à natura inditum, ne caput allidat proximo aut parieti aut pauimento, mox alioqui excerebrandum. Tu ita frequenter in caput decidis, vt effuſo iam cerebro, caluariáque penitus excerebrata, vnam tibi ad maledicẽdum linguá ſupereſſe, nullo ſeruato delectu, nulla modeſtia adhibita, omnes intelligant. Satius tibi fuiſſet cecidiſſe in pedes, quàm in caput: quem miſerabilem caſum ita Poëta deplorat.

-Ingens à vertice pontus
In puppim ferit, excutitur, pronúſque magiſter
Voluitur in caput. Reliqua perſequamur.

Non tot habet pelagus guttas, non tot opima meſſis ariſtas: quoties tu vteris verbo ſpiritus, centies ac millies repetẽs hoc verbũ, Leſperit, Leſperit. homo ſcilicet ſpiritualis: cùm tam abſis à vero ſpiritu, quàm inferi à ſuperis. Ver⁹ enim ſpirit⁹ di-
Sapien.1. ſciplinę effugit fictũ, & aufert ſe à cogitationib⁹, nempe carnalib⁹, quæ ſunt ſine intellectu. Et corripitur à ſuperueniente iniquitate: quanto magis ab obruẽte, qua plenus es, impietate? Tantũ abeſt vt ſis ipſe pneumaticus, vt verius habearis pneumatomachus: vt qui ex aduerſo reſiſtas Spiritui ſancto. Pſychicum te facis, cùm nec ſis dignus nomine Phyſici, hoc eſt, animalis hominis: qui tamẽ nihil minus ſapit, quàm quæ Dei ſunt. Stultitia
1.Cor.2. enim eſt illi. Neque enim de ſurſum eſt tua ſapientia, cùm planè ſit animalis & diabolica, in hoc ſolum intẽta, vt diſſipet, deſtruat, mactet, & perdat.
Hîc

Hîc ergo mihi dicito, qua improbitate, quáve audacia aut temeritate ſpiritum habes in ore, cuius præſentia falſò gloriaris: cùm nihil minus quàm rectum, renouantémque viſcera ſpiritum habeas in corde? Spiritus ille tuus, cuius nomine tantopere gloriaris, nõ eſt tranquillitatis & pacis: verùm potius ſpiritus eſt blaſphemiæ, vertiginis & contradictionis, commotionis, contentionis & turbinis, ſpiritus inquam conterens petras: ſed non in turbine dominus, ſed in ſibilo potius auræ tenuis. 3.Reg.19 Neque enim aliũ tua ſcripta præſentant ſpiritum, quàm antichriſtianum, ac planè etiã diabolicum, de quo Chriſtus ait. Vos ex patre diabolo Ioan.8. eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, tu verò es animicida. Et Ibidem. in veritate nõ ſtetit: tu verò tuis lenociniis incautos à via veritatis auertis, alios vnà tecum è gradu deiiciens, inque barathrum deſperationis & apoſtaſiæ detrudens. Qui non eſt pro me (ait Lucæ.11. Chriſtus) contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Teſtem in hac re habeo omnium Eccleſiæ procerum, qui etiam vita & miraculis claruerunt, conſenſum & conſcientiam. Ab his enim in dogmatibus tantum diſſides, quantum Nili ortus ab occiduo Oceano. Diabolicum eſt, nec vſquam, nec vnquam culpam agnoſcere. Omnium tu ordinum catholicos inſimulas flagitij & impuritatis, qui omnes ad vnum ſuorum criminum culpam ingenuè agnoſcunt. Veniam ſupplices expetunt, pœnam deprecantur, reſipiſcentiam ex animo pollicentur,

exomologeſi maculam diluũt: bonis,quoad poſſunt,operibus malefacta cõpenſant,peccata eleemoſynis redimunt. Tu veró, tuiq́ue Caluinates, vbi,aut quãdo, veſtram deploratis peruicaciam? Ceruicem, frontémque duriſſimam, quando aut inflectitis,aut pudore aſpergitis? Humanum erat peccaſſe, perſiſtere autem planè diabolicũ. Qui-
.ct.7. bus illud manifeſtè cõpetit: Dura ceruice, & incircuncisi cordibus,& auribus,vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis: ſicut patres veſtri, ſic & vos: primi inquam Lutheranæ factionis authores, qui pro roſis ſpinas, pro ficubus tribulos orbi intuliſtis. Rediiſſe aliquando debueratis,præuaricatores, ad cor, ſed nihil minus quàm id præſtatis. Fruſtra itaque querimini Caluinates, Theologos non niſi præſente ſupplicio & lictore vobiſcum contendere. Ipſi eſtis in cauſa,non nos:cùm nullis vel precibus, vel ratione aut trahi poſſitis aut allici ad reſipiſcentiam. Fæx impietatis hæreticæ, veluti Naphtha quædam,cognatas ad ſe flammas euocat, aſſequitúrque quantumuis diſtãtes: quin etiam perſequitur fugientes: denique ſupplicium ad ſe attrahit,vt Cæcias nubes. Vnde rectè ex Tertulliano colligitur: Ad officium hæreticos compelli, non inlici,dignum eſt. Duritia vincẽda eſt, non ſuadenda. Hæc ille. Fruſtra enim cum pertinaci contenderis: cùm ſit huiuſmodi conflictus inutilis contendenti, ſpectanti oneroſus, vacillanti noxius.Concutiuntur enim auditorum animi: qui vel ſtudio partium, vel ingenij caligine, aut certè imperitia, aut aliàs demeritis exigẽtibus

ruinæ

ruinæ proximi, tandem animum deſpondebunt. Id ex Sapiente deprehenditur, qui ait: Sicut acetum in nitro, ita qui cãtat carmina cordi peſſimo. Diſſidium circa legem, totius honeſtatis & obedientiæ repagula peruertit. Tundendum potius eſt os impij ſilice, quàm confutandum ratione. Vt ſunt qui tædio vitæ ſe interimunt: ita nec deſunt, qui præ elatione animi perire malint, quàm recantationis rubore aſpergi. Quid igitur reſtat, niſi quòd ſicut priuati priuato, ita & hoſtes Religionis publici, publico bello veniant coërcendi? Perfuga rebellis pluſquam emanſor eſt aut deſertor. Vbi ad alios peruertendos creſcit audacia: ſequens eſt vt creſcat & pœna. Minimè enim tolerandus eſt, qui iam peruerſus alios peruertit. Fruſtra itaque quereris (nec fert aliquem querimonia fructum) te tuóſque ad pœnam vocari: cùm mens ineluctabilis, & in perniciem ſui atque aliorum nunquam non propenſa, non niſi extremo expugnanda ſit ſupplicio. Inſultabat (Sulpitio id referéte Seuero) diuo Martino hoſtis ex profeſſo diabolus, quòd mandritas haberet nec modicis nec paucis ex retroacta vita flagitiis oneratos ac maculatos. Martinum diabolo repugnanté conſtanter reſpondiſſe, refert idem Sulpitius, Antiqua delicta, melioris vitæ conuerſione purgari, & per miſericordiam Domini abſoluẽdos eſſe à peccatis, qui peccare deſinerent, contradicẽte diabolo, non pertinere ad veniam criminoſos, & ſemel lapſis nullam à domino præſtari poſſe clemẽtiam. Tunc in hãc vocem fertur exclamaſſe Martinus:

Prou. 25.

Si tu ipſe ô miſerabilis ab hominum infeſtatione deſiſteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cùm dies iudicij in proximo eſt, pœniteret: ego tibi verè confiſus in domino, CHRISTI miſericordiam pollicerer. Hæc ille. Qua in re ſi authoritatem præſtare non potuit, oſtendit affectum. De hæreticis autem ſecus. Quandiu enim anima in corpore eſt, ſpes aliqua ſupereſſe poteſt:
Hebr. 6. niſi quòd (teſte Paulo in Hebræis) impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutéſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt: rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtẽtui habentes. Hæc dixerim, quòd (quantum coniicere poſſum) inſinues te tibi timere ac tuis à theologorũ obiurgatione, lictoris præſentia, & ſubinde flammarum periculo imminẽte. At ecce tibi pharma-
Roma. 13. cum præſens. Vis non timere poteſtatẽ? Benefac. Alioqui non ſine cauſa gladium portat. Dei enim vindex eſt, & iudex, & lictor in iram, ei qui malũ agit. Reſipiſce igitur, vt non timeas poteſtatem. Exue veterem hominem, & indue nouum, quod vnũ tibi ſupereſt ad omnia, quæ te arctiſſimè circundant, euadenda pericula amuletum.

Neſcio quid de laude ad ſepulchrum non deferẽda nugaris. Tu tuas laudes, quæ mera ſunt vituperia, tibi habeto. Tuas ego refugio, quas odi cane peius & angue: vt qui ſciam ſcriptum eſſe: Nihil illo paſtore miſerius, qui delectatur luporum

laudibus:

laudibus: quódq; nemo ſimul & lupis & ouium gregibus placere poſſit. Mihi ad ſepulchrum in dies properanti, ſacra ſufficit anchora obtinẽdæ à diuina clementia miſericordiæ. Cætera ſúſque déque fero, nihil minus cupiens, quàm à te tuíq; ſimilibus commendari, id quod ſuprà abundè dixiſſe memini.

Maculam tibi paras indelebilem, dum te præſtas hoſtem ſenectutis, præſertim literis deditæ, alioqui etiã venerandæ. Primùm enim nihil aliud quàm notiſſima cuique narras. Sciunt omnes penè etiam analphabeti, mores ſenectutis ita ſe habere, quòd ſit ſenex (ex vſu communi)

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero.

Et rurſum:

--ætas miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

Quidni moroſa ſit, cum ſit ærũnoſa ſenectus? Verùm hæc incommoda non tam grauatim, quã leniter excipiẽda fore ſcire debuiſti, qui ſpiritualis videri vis, cùm nihil minus præſtes quàm ſpiritum, ſiſque ipſa carnalitate carnalior. Conſiderare debes temetipſum, ne & tu tenteris. Galat. 6.

Nam qui poſſe putas ſenij cognoſcere mores,
Si ſenium attingas, dic mihi, qualis eris?

Cogitare potius debueras, quòd

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inq́ ſuo precio ruga ſenilis erat.

Et vt alius ait,

Venerabile erat præcedere quatuor annis. Iam
1.Tim. 5. quis neſcit ſcriptum eſſe: Seniorem ne increpaue-
ris, ſed obſecra vt patrem. Et apud Eccleſiaſticum
Eccli. 8. legimus: Ne ſpernas hominem in ſua ſenectute,
Leuit. 19. quoniam ex nobis ſeneſcunt. Et rurſum: Coram
cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.
Neq; enim dignus eſt qui ſeneſcat, qui ſenectuté
non reueretur. Hæc omnia ſi tacitus cõſideraſſes:
credo equidem ſupra modum puderet te tuæ pe-
tulãtiæ toto iam orbe notiſſimæ, & vſque ad nau-
ſeam iam promulgatæ: dum nihil habes qua tu eã
ratione tegere poſſis, aut excuſare. Habes enim
locos ad maledicendum expeditiſſimos aduerſus
omnes ætates, ſtatus, ſexus, & ordines. Quod ipſe
negare non potes, cùm eiſdem verbis vtaris in ex-
probranda Catharini conditione & ſenectute.
Ipſiſſima enim verba cernere eſt ex ſcriptis Co-
chlæi, quibus aduerſus Catharinum Senenſem
vteris.

Mirum, vnde diſcere potueris, me veris caſtiſ-
que nuptiis, ſacróque detraxiſſe coniugio: niſi
quòd vnus es (vt ſi quis alius) ad ſtruẽdas calum-
nias, conſuendáſque ex tempore impoſturas, vt
propenſiſſimus, ita & plus ſatis ingenioſus. Mihi
certè nunquam venit in mentem, caſtis detrahere
coniugiis. Secus de inceſtuoſis votifragorũ, ſor-
didiſſimiſque cõtuberniis. Quis enim neſcit ho-
Hebr. 13. norabiles tori immaculati nuptias? Nam de pa-
triarchis, prophetis, déque primæuæ procerum
Eccleſiæ caſtiſſimis coniugiis, abſit vt ſiniſtri ali-
quid vnquam ſuſpicatus ſim: tantũ abeſt vt pro

nuncia-

nunciarim. Quis enim nescit eos nunquam voto fuisse astrictos, & priscos Ecclesiæ patres nōdum cœlibatus legibus fuisse obnoxios? Non de his (vt aut falsò suspicaris, aut calumniosè interpretaris) mihi sermo est, improbe calumniator Caluine. Caluinicum tuum istud est commentum, re ipsa refragāte. Quin potius cum Hieronymo, & cum Tertulliano, cæterísque Ecclesiæ proceribus loquar. Pronuncio enim non cōtemnere matrimonium, qui ei præfert aut virginitatem, aut cœlibatū: vt nec viduitas spernitur, si ei virginitas præponitur. Nec argēto iniurius est, qui aurum præcellere dicit: nec Lunæ, qui illi solem anteponit. Vmbram non protinus abiicit, quisquis Solis radiis priores partes tribuit. Sed nec ita sibi opponuntur sacerdotium & coniugium, vt virtus & vitium. Nam virginitas & viduitas, vtræque formosæ sunt me iudice, ac venerandæ: alia tamen aliam non patitur, in eodem scilicet indiuiduo. Quis vinum vino, oleum oleo, contraria dicat? Et tamē vas semel vino repletum, aut oleo: quicquid superfuderis liquoris, protinus abiicit & extrudit. Fides & ratio naturalis, cùm vtráque vera sint, non secum pugnant. Verùm fides naturam superat, & captiuum ducit intellectum in obsequium CHRISTI: vti in sacrosancto indiuiduæ sempérque super omnia benedictæ Trinitatis mysterio cōstat. Fides enim ex auditu est, non ex humano captu. Quid plura? Nec Centurio nec Zachæus inter se contendunt: quorum tamē vnus CHRISTI supplex deprecatur, alter verò

Roma.10. Matth.8. Lucæ.19.

lætus præſtolatur aduentum.

Sed nec Spiritus ſanctus in ſe diuiſus eſt, aut ſecum contrarius pugnat: qui prius ſynagogam ſtatuens, Eccleſiam demum ſuperinduxit Synagogæ. Non enim eadem diuerſis tẽporibus conueniunt. Suis ſpaciis ſingula præſcribuntur. Fuit quando etiam apud ſacerdotes tempus erat amplexandi: nunc tempus ceſſandi ab amplexibus. Naſcebantur Leuitæ, non fiebant: nunc autem fiunt ſacerdotes, non naſcuntur. Nuptiæ implebant terrã cultoribus orthodoxis: nunc verò cœlibatus replet cœlum aſſiduis doctrinæ & vitæ, morúmque ac miraculorum exemplis. Olim paſſim coniugio vacare licebat: nunc autẽ ſi qui ha-

1. Cori. 7. bent vxores, ex conſilio Pauli eſſe debeant tanquam non habẽtes: quomodo igitur qui non habent, ſacerdotes voto & ſtatuto ad cœlibatum aſtricti, iure aſpirare ad nuptias queant? Quin & priſcæ Synagogæ patres abſtinere oportebat ſi quando illis ſacrificandum erat. Quid igitur de his dicturi ſumus, quibus continua penè offerẽdi ſacrificij neceſſitas incumbit? Id quod diuus Ambroſius diligẽter annotauit. Solutum eſt à re vxoria ſacerdotium, iam ergo ne vltrà quærat vxorẽ. Id enim vetat & ordinis ſolenne votum, & ſacroſanctum Eccleſiæ ſtatutum. Hæc ſunt, quæ de cohærentia ſacerdotij & cœlibatus vt ſentiebam protuli, & vt proferebam ſenſi: quæ nec Momus quidem ipſe iure aut carpere aut arrodere queat. Tu verò in texendis aduerſus alios calumniis ita

—Cernis acutum
Vt tua nec videas oculis mala lippus inunctis.

Dic igitur impie Caluine, quid valet fraus tua? A quo iam offenderis, nisi à temetipso? Commétum istud tuum contra te est semper, te impostorem Caluiniosum (volebam dicere calumniosum) manifesto argumento declarans. Dico igitur, non bene inter se conuenire sacerdotium Euangelicum & coniugalem statum, cui suggerente Spiritu sancto scimus fuisse annexum cœlibatum: non tamen opponi vt virtutem vitio. Sed neque spiritus domini multiplex & rectus, Deus est contentionis, sed pacis. Constat autem spiritu sancto authore inuectum fuisse sacerdotio cœlibatum, ex verbis Vrbani: quæ eo quem diximus afflatus spiritu pronunciare non dubitauit, vt est in capite, Erubescant, distinctione trigesimasecunda. Erubescant (inquit) impij, & apertè intelligát, iudicio Sancti spiritus, eos qui modò in sacris tribus gradibus, scilicet presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu positi, mulierculas non abiecerint, & castè non vixerint, excludendos ab eorundem graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur, secretorum autem & cognitor Deus, & iudex est. Et ante hũc Canon Apostolorũ vigesimus septimus. Pluribus hic immorarer, nisi scirem me rem totam copiosius ac seriosius discussisse in codice in eam rem ædito, De tuẽdo sacro cœlibatu. Inde plura, qui volet, requirat. Illic enim disertis rationum & authoritatum verbis diluimus omnes aduersariorum leuiculas

argutias, vt ne dicam imposturas, nempe Buceri, Zuinglij, Munsterique, ac cuiusdam Sambergensis votifragi. Proinde super his differēdi hic modus esto. Nolim odiosam omnibus cramben apponere mensis. Illud obiter dicam, quod in perpetuo vsu habent belli isti pictores, immò verius fictores & pseudophrygionarij non tam acu pingentes, quàm pungentes: fásque nefásque in eodem loco reponere, calcariam carbonariæ sic admiscere, vt de calcaria carbonariam faciant. Qui vtinam hoc saltem scirent (quod tolerabilius malum est) atrum in candida vertere. Ego enim de votifragorum contuberniis loquor. Ipsi verò contrà, ad patriarcharum castissima coniugia transuolant, quasi verò iustum velim damnari cum impio. Sic quæ veris coloribus pingere debuerant, aut fingunt, aut certè expungunt veteratores isti improbi.

Quid autem stultius aut efferre potuisses, aut proferre, quàm vbi calumniaris me detorsisse ex poëta Nasone, dum ait,

Non bene conueniunt, nec eadem sede morantur,
Maiestas & amor,

Ex amore illicito in amorem coniugalem? Quis enim nesciat oscula & hubera in epithalamio CHRISTI & Ecclesiæ, sæpius omni numero detorqueri à carne in spiritum? & in prophetis, adulteria & fornicationem in perfidiam & idololatriam innumeris locis transformari? Sic Ecclesia passim ritus infidelium in lustrationibus agrorum conuertit ad Cerealem ritum, die

scilicet

ſcilicet Purificationis virginis intemeratæ. Quid pluribus opus, cùm conſulat diuus Auguſtinus aurũ ſubtili ingenio haurire à barbaris? à quibus, ſi quid decerpendum ſe offert, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus repetẽdum ſit. Fures huiuſmodi (vt quidam ait) digni ſunt qui ſuſpẽdantur catena aurea. Dixi ergo, non bene conuenire quietem contemplationis labori coniugali, & ſacerdotij ſolitudinẽ familiari ſolicitudini. Et id quidem ante me dixit Paulus: Si nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Et rurſum: Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Qui & paulò antè dixit: Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Hæc autẽ cui magis ſtatui competere poſſunt, quàm ſacerdotali Euangelico, quem in omnem euẽtum eſſe oportet ad ſacra obeunda paratum?

1.Cor. 7. Ibidem.

Hoc ipſum Cyprianus latiſſimè docet, vbi tractat de ſolitudine clericorum hunc locum explicans, non (vt impiè diceres) detorquens: Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Quem debuiſſes legere, ſi voluiſſes intelligere. Nec nobis deerit ſuffragium Tertulliani, qui tametſi non omni ex parte, in hac tamen ſententia recipitur, cum non diſſideat ab orthodoxis, dum ait: Semper initia laxantur, fines contrahuntur. Propterea ſyluam quis inſtituit, & creſcere ſinit,

vt tempore ſuo cædat ſyluam. Erat vetus diſpoſitio, quæ in Euangelio nouo commutatur, (aliàs deputatur) in quo & ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Hæc ille. Et hæc quidem rectè ad ſacerdotium relata dicta ſunt: ad eam autem, de qua loquimur, monogamiam detorta, meritò exploduntur à patribus. Huc accedat & illud ex eodem: Per continẽtiam negociaberis, magnam ſubſtantiam neceſſitatis parſimoniæ carnis ſeruientis adquirens. Recogitemus enim ipſam cõſcientiam noſtram, quàm alius aliũ ſe homo ſentiat, cùm à ſua fœmina ceſſat. Si orationem facit ad Dominum, in propè eſt cœlo. Si ſcripturæ incumbit, totus illic eſt. Si pſalmum canit, placet ſibi. Ideo Apoſtolus purificationi orationem

1. Cor. 7. commendauit, cauſatus id quod ad tempus permiſerat: ſemper nobis exercendum eſſe, quod ſemper proſit. Si quotidie omni momento oratio hominibus neceſſaria: vtique & continentia, quæ orationi neceſſaria ſit. Oratio de conſcientia procedit. Si conſcientia erubeſcit, erubeſcat oratio. Spiritus ducit orationem ad deum. Si ſpiritus reus apud ſe ſit, conſcientia erubeſcit, quomodo audebit orationem ducere ad altare? Hactenus in libro exhortatorio ad caſtitatem Tertullianus.

Quæ procerum omnium Eccleſiæ conſenſu aptiſſimè congruunt ordini ſacerdotali.

Vt autem ad alia me conuertam: cæcutíſne, an planè cæcus es, toto aberrans cœlo: qui obiurgas me extra cauſam dicere, & (vt ſic dicam) vagari

extra

extra oleas, quum ex diuo Ioanne in Apocalypsi aduersum te tuique similes, Interimēsibus longè deteriores, cito exemplum Nicolaitarum cōmunionem vxorum fouentium, nesciens quòd mutato nomine de tuis Caluinatibus fabula narretur? Vos (quod ipsi diffiteri non potestis) diuortia, verius repudia, sacrilego vestro ritu recipitis, fixa refigentes, rursúmque refixa figentes, interueniente quandoque pecuniæ precio numeratæ. Id mihi relatum est, cùm ex Bononia rediens, illac transirem. Sed notius est id, quod mox dicturus sum. Nosti Carolum olim tuum, tuum, inquam, congerronem & commilitonem coniuratissimū: tum quidem peruersum & errantem, nunc verò (quem imitari deberes) cōuersum & pœnitenté. (quod felix, faustū, fortunatúmq; sit illi) Cui per vos aliquando licuit contra fas & æquitatem sibi desumere vxorem, aut potius vxoris vmbram, & cauponariam, & (quod amplius est) meretricem. Accidit tandem (vt talibus contuberniis euenire solet) vt falsa nuptiarum imagine delusus Petrus, concubinæ indignationem incurreret, eousque vt conuiciis consputus, pugnis ac calcibus protritus, ac contusus, tantùm non enectus fuerit. Quid tum fecisse poterat? Id certè quod quidam ait: Apoc. 2.

--Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, & pugnis bene cæsus adorat:
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti. Sed,
Omnia cum quodam veniunt incommoda fructu.

Vexatione tandem, quæ ſtultorum magiſtra eſt, edoctus: non ſolum à familiæ cura, immo & à ſuperſtitionis, quam infœliciter ſibi deſumpſerat, obſeruatione diuertit, ſuo demum periculo cautior effectus. Iam vxor illa, aut vxoris ſpectrum, quò tandem inclinare cœpit, niſi ad alias falſi forſan nominis nuptias, nempe cum materia (vt fieri apud vos ſolet) illegitima contractas?
H Sicque duobus ſuperſtitibus maritis, quid niſi iſta communis vxor à vobis habeatur? Id nónne eſt communes admittere vxores? Hanc ego communionem taxare volui. Sic neque à ſcopo, in quem intentis oculis diſpiciebam, diſceſſi. Tu ergo teipſum argue cæcutiētem potius, quàm me nec ad latum quidem vnguem à ſcopo diuertentem.

Pari laborare videris inſania, aut certè mentis ſtupore, dum nihil ad rem pertinere ais locos à
Leuit. 19. nobis citatos: Sācti eſtote, quia ego ſanctus ſum.
R Iſaiæ 52. Rurſum: Lauamini, & mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini. & alia in eandem ſententiam conſpirantia teſtimonia. Ais munditiem & ſanctificationem competere omnibus Chriſtiani nominis ordinibus. Et quis hoc negauerit vnquam? Sed neſcis improbe, neſcis, non omnem omnibus munditiem ex æquo conuenire, neque ſtatus omnes eadem metiendos eſſe pertica? Nec enim tu ipſe negabis maiorem continentiam, caſtigationémque pudicitiæ arctiorem competere virginibus, quàm viduis: & rurſum viduis, quàm cōiugatis. Quibus quadantenus affinis, & ſi non

per

per omnia, quadam tamē parte ſymbolizans cœlibatus ſacerdotum, ſuam quoque in ſuo gradu ſanctimoniam requirit, pudicitiámque & continentiam. Non enim decét verba nupta cœlibem. Abūdare igitur oportet ſanctimoniam in aſſumpto & profeſſo cœlibatu, plus quàm in coniugali ſtatu, propter cauſas à beato Ambroſio non vno recitatas loco. Non ergo illam munditiem in genere omnibus æquam propono, ſed ſingulas ſuis metiēdas gradibus ſingulis ordinibus continentias profero. Hic nihil eſt quod (etiamſi ſis Momus) meritò arrodere poſsis, aut debeas. Perinde enim eſt ac ſi quis dixerit: Vos veſtrę profeſſionis memores, eam munditiem præſtate, cui & Eccleſiæ ex inſtituto, & veſtro etiam aut expreſſo aut tacito voto, & per ſilentium approbato conſenſu, eſtis obnoxij. Itaque lauamini, & mundi eſtote, qui fertis vaſa domini. De his autem conſtat in canone, Erubeſcant. diſtinctione trigeſimaſecunda, vt poſtea dicetur, in capite, Quod votum. in receptiſſimo hierarchiæ eccleſiaſticæ vſu. Quę omnia digeſtim cernere eſt in codice noſtro, De tuendo ſacro cœlibatu.

libr. 6. tit. 15. de voto & voti redēptione.

E medio iam ablatis craſsioribus technis ſtrophíſque Caluinicis, reliquas vredinum aſperginúmque quiſquilias flatu ſibilóque tenuiſsimo promptum eſt diſcutere. Ait enim Pſaltes, pſalmo trigeſimoſexto: Inimici domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Deficient, inquam, ſicut gluma aut puluis, quem proiicit ventus à fa-

Psal.1 cie terræ . aut certè communi cum his conditione, de quibus ſcriptum eſt : Vt lutum platearum delebo eos. Futurum enim ſperamus , vt exurgat Deus, & diſsipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereāt peccatores à facie Dei.

Psal.17.

Psal.67.

Primùm igitur retegenda eſt techna illa & verſutia , qua tergiuerſator ille omni Euripo verſatilior, ſe quocunque velit, proripit, ſub vernaculæ linguæ lubrico, tectóque velamine: vt ſcilicet hac methodo viroſa illa ſua dictio obrepat in mulierculárum iudicio carentium cæca pectora: quæ vt ſunt ad iudicandum imbecillia , ita & ad nocendum , cæteróſque alliciendum , nonnunquam principes etiam viros , paratiſſima : quandò (vt Sapiens ait Eccleſiaſtici vigeſimoquinto capite) omnis malitia , nequitia mulieris. Et rurſum ibidem: Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris. Móxque ſequitur : Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris. Sors peccatorum cadat ſuper illam.

Qui Caluinus , ſi verbis Latinis vteretur, paratiora in ſe haberet, quæ ex ſacris doctoribus proferenda veniunt teſtimonia. Nam clarius ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Quæ vt facilius effugere poſsit, aliam vernaculæ linguæ ſubſidio, qua euadere poſsit, rimam excogitauit.

Qui enim rem totam profundius introſpexerit, inueniet non eſſe veras (quas appellat) verſiones , ſed diuerſiones potius , quàm aut paraphraſes,

ſes, aut interpretationes.

His nimirum diuerticulis, alteratis quãdoq; & vocabulis & ſententiis, à recta via incautos auertit, non tam ductor quàm ſeductor gregis dominici factus, digniórq; qui coruos paſcat, quàm ouile Chriſtianum. Stupidas enim muliercularum mentes, vernaculæ linguæ virulento lenocinio auolare facit è nido, etiam implumes, auxiliique ac conſilij prorſus inopes, errantes: & ipſos quãdoque viros in errorem trahentes, viros inquam, etiam ſacerdotes falſa quadam nuptiarum imagine deluſos: vt eſt ſexus ille muliebris ad texendas ex tẽpore technas prõptiſſimus ac paratiſsimus, & ad ineſcandos luxu fœmineo effœminatos viros expeditiſſimus. Nonnunquam etiam id euenit (adeò illis eſt lubrica mens) vt ſeipſas in laqueos coniiciant: vt ſimul & alios capiant, & capiantur ab eis, quocunque etiam ſeu laſciuiæ, ſeu falſæ etiam pietatis prætextu. Quo fit, vt malè feriata coniugia vagos pariant concubitus, tandémque fiant mulieres more Nicolaitarum communes, vti ſuprà exemplo conſtitit, atq; etiãnum conſtat. Paſſim enim cernere eſt, ſcorta illa impudica, quoties è caſtris noſtris in Geneuenſe antrum tranſfugiunt, non niſi ſpe falſi nominis coniugij ineundi cum apoſtata aliquo, & ſignorum ſuorum deſertore eò loci ſe conferre. Poſſem huius rei pleraque ex variis locis citare exempla, niſi notiora omnibus eſſent, quàm vt recenſeri debeant.

Illud verò quàm pulchrum eſt, quamq́ue de-

corum: dum bellus iste heroicæ cõstantiæ præco, aut verius personatus histrio, simiaque martyrij, nebulones suos Orci iampridẽ familiæ addictos, ad subeundum sustinendúmque extremũ pro suo errore tuendo suppliciũ, hortatur. quasi verò quis ignoret martyrẽ non facere pœnam, sed causam. Hi enim (vt ait Ioannes) ex nobis prodierunt, sed
1.Ioan.2. non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Ideoque rectissimè Augustinus ait: Teneamus, fratres mei, vnitatem. Præter vnitatem, etiam qui facit miraculum, nihil est. In vnitate erat populus Israël, & non faciebat miracula. Præter vnitatem erãt magi Pharaonis, & faciebãt similia Moysi. Citatur hoc in cap. Teneamus. 1. quæst. 1. Cui & pulchrè cõuenit sentẽtia Hieronymi in Oseam dicentis: Illi offerunt sacrilegum panem, & dant eleemosynas, & sectari videntur, quæ ego, si verè fiant, holocausta interpretor. Cùm autem scientiam Dei reliquerint, frustra truncato capite fidei, cætera membra habere se iactant. Recensebimus & illud ex eodem Hieronymo in cap. Vide, quod maximè ad hanc rem de qua agitur, pertinet. Vide (inquit) quantum bonum est charitas. Si ita martyrium fecerimus, vt nostras velimus ab omnibus reliquias honorari: & si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, & substãtiam nostram vsque ad mendicitatem propriam dederimus: huic operi non tam præmium quàm pœna debetur: & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ. Hæc ille. Tu verò mihi vide quisquis es pietatis

amator,

amator, vulpeculæ hui⁹, quæ nihil aliud quàm vineam domini demoliri viis omnibus tentat, vafritiem & astutiam. Si martyrium tuendi erroris sui gratia subeundum erat: cur igitur clàm aufugiēs, totóque itinere latitans aufugit? Cur etiam aliquoties orthodoxam Galliam repetens, non seipsum prodidit, cùm scriptum sit. Nihil opertum Lucæ.2.7
est, quod non reueletur: neque abscōditum, quod non sciatur? Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem loquuti estis in cubilibus, prædicabitur in tectis. Vox tua, vox Gene.27.
Iacob est, Caluine, sed manus tuæ, manus Esau sunt. Aut igitur appare quod es, aut esto quod appares. Tu te reseruas ad innumeros populos in barathrum perditionis ac desperationis tecum deturbandos. Sufficere tibi debebant peccata tua sæuissime animicida, vt non alios etiam vel incautos vel seductos vnà tecum perderes. Facis te dæmonis incudem, apud quam omnium flagitiorum tela cuduntur & formantur. Fungeris vice lacunæ, ad quam omniū hæresum colluuies latissimo impluuio defluit. Relicto fonte aquæ viuæ, fa Hiere.2.
cis tibi cisternas dissipatas, quæ continere nō valent aquas. Iam non tam es hæreticus, quàm hæresiarcha, omniumq́ue errātium antesignanus. Omniū hęreticorum classes tua vnica continet officina: inter quas maximè tibi placet Gnosticorū ab eminenti sciētia appellatio. Nam & spiritum dei te habere dicis: cùm sis angelus Satanæ, teipsum 1.Cor.11.
transferens in angelum lucis. Is enim es, de quo in Iob legitur: Absorbebit fluuium, & non mira- Iob.40.

bitur: & habet fiduciam, ꝙ influat Iordanis in os eius. Sed videndum tibi eſt, ne dum accipis, acci-
Pſal. 93. piaris. Expectat enim dominus, donec fodiatur peccatori fouea. Sed de tuo pſeudomartyrio hactenus.

Actu. 9. Iam verò durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Cùm enim negare nō poſſis ſpoliatum in primis fore reſtituendum: diſſimulas tamen (vt es frontis omnino perfrictæ) & auditum à veritate auertens, ad conuicia cōuerteris, dum nitor oſtēdere, nullo iure admitti poſſe, vt res eccleſiaſticæ per ſummam iniuriam ablatæ, inuito clero detineātur. Cùm non habeas, quid huic inuictæ veritati opponere poſſis: ad ſolitas artes confugiens, probra inquā & obiurgationes, ad cætera mutus & elinguis, omnes pro porcis habes, & in ea cauſa patronos porcariorum nomine ſugillas. Qui tamen ſi aliquid frontis haberes, inficiari nō poſſes pleroſque ex toto cœtu cleri Germanici, & fuiſſe & eſſe continentia vitæ, & morū probitate, inſuper & eruditione, illuſtres. Quare ſana mente nō potuiſti ſimul damnare iuſtum cū impio: ſed nec in ipſos etiā improbos eouſque ſæuire, vt in totū ſuis prouētibus priuarētur. Si enim intereſt reipublicæ, ne quis ſua re malè vtatur: multo amplius curandum eſt ne quis re per ſacrilegiū ablata, longoque iam vſu detenta, fruatur. Alioqui niſi cōfeſtim reſtituatur ſpoliatus, qualis qualis ille fuerit, etiamſi diabolus: quò tandē deuenient regna, niſi ad vaſta & manifeſta latrocinia? Ad hęc reſpōdere debueras Caluine potius, quàm conuiciis agere,

re,& caninam tuam oſtentare facũdiam. Verùm tu tuíque Caluinates,ex huiuſmodi rapinis veſtrę tragœdię ſumpſiſtis initium. Ideoq́ue nihil mirũ, ſi in re tam liquida,diffugia quæratis ac diuerticula. Veſtra enim res agitur:alioqui reſtituenda forent,quæ ex ſacris locis per ſummam impietatem ablata diſtraxiſtis. Sed de hac re alio loco abunde diſſeruimus.

Sycophãticum autem eſt quod ais,me hac vna Pauli apoſtoli authoritate cõtentum, Spiritu ambulate,& deſideria carnis nõ perficietis: adſtruere voluiſſe continentiam ſacerdotio perpetuo annexã. Neque enim ipſe ignorare potes,quàm multa in eam rem protulerim procerum Eccleſiæ placita,conciliorũ decreta,atque etiam ex ſacris ſcripturis deſumpta teſtimonia:quę ſi minus euincãt ſingula,iuncta probant. Quibus parendũ docet, qui ait: Qui vos audit,me audit: præſertim cùm data ſit poteſtas in ædificationẽ,& non in deſtructionem. Sed de hac re copioſius, vbi egimus de tuendo cœlibatu: vbi etiam declarauimus extra cauſam eſſe id,quod de Paphnutio recenſes. Illic ſanè eò mihi relegandus es,vt tandem ſapere incipias ex Chryſoſtomo & doctoribus ſacris: Non omnes capiũt verbum hoc,ſed quibus datum eſt. quódq; mox ſubiungitur: Qui poteſt capere, capiat. Nã ꝙ dicis,omnib⁹ etiã voto aſtrictis, paratũ cõiugij remediũ:tu ſi micã ſalis haberes, intelligeres quid ſibi velit illud Pauli: Fidelis autẽ deus eſt,qui nõ patietur vos tẽtari ſupra id quod poteſtis:ſed faciet etiam cum tẽtatione prouẽtum, vt

Galat.5.
Lucæ.20.
2.Cor.10.
Matth.19
Ibidem.
1.Cor. 10.

possitis sustinere. Assurgeres etiam ad verba Chri
Lucæ.11. sti dicentis: Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quāto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?

Quæ de Apollonio, deque Montano profers, ex eo quem citauimus loco, facilè intelliges nihil ad causam pertinere. Dissimulas tamē, & effugia quæris: ne medius intercipiaris, victum te fatearis, & agnoscas contrà quàm tua ipsius conscientia vel inuita fatetur.

Quæ tu mihi matrimonia cōtracta narras: non matrimonia sunt, cùm non subsit materia legitima, verùm potius prostibula.

Tu verò cæca libidine cauillandi pruriens, ipse non attendis quale tibi cauillum parias, dum philosopharis ineptè. Sugillans enim ingenij mei, (quam ipse minimè diffiteor) tenuitatē, dicis tiaram ingenio esse acutiorem. qui scire ex philosophia debueras, nulla re fieri posse comparationē inter res genere distantes. Nō enim rectè dicitur stylum esse acutiorē voce, aut vocem stylo: etiā si vox acuta dicatur, & stylus acutus: sed nulla, quæ vtrique communis sit, acutie. Sed hæc est Caluinatium philosophia, quæ nihil aliud nouit, quàm aut ineptire, aut calumniari. Sim tibi quantumuis obtusus: non tamen sic hebes, vt ad multa per me tibi opposita responderis, siue quòd non velis, siue quòd non valeas. Ad quæ tamen omnia aut respondendum est, aut te victum fatearis oporet. Quod dum feceris, intelliges (vti iam dixi) me ad omnia non hebetem esse, aut obliuiosum.

Quòd

Quòd autem dictionem nostrã sugillas: eo ipso mihi gratior est, quo tibi magis displicet. Nec parum me profecisse existimabo, dum intellexero eam tibi fuisse ingratam: cui quicquid probũ, ingratum est: quicquid placet, improbum. Nullã tu in laudando, sed nec aliquam (quod tamen maximè cuperes) in lædendo vim habes, qui nec cõmendando proficis, nec vituperando officis. Tua potius assertio tam execrabilis est, vt nulli vnquã placitura sit catholico: sed nec (credo equidem) aut mortalibus, aut immortalibus vllis. Doctrina sapientum facilis: tua verò tam anfractuosa, sinuosa ac difficilis, vt nec ad eam assurgere possit, qui ait: Tria sunt difficilia mihi: via colubri super petram. Cuius typo haud dubiè Caluinica insinuatur astutia: quæ persæpe tam varia est, támque versatilis, nonnunquam etiam sibi aduersa, vt quò tandem inclinare velit, nec vllo quidem assequi possis augurio: nisi quòd vnam in omnibus pro scopo venatur impietatem. Id mecum fatebitur, quisquis vel pagellam vnam ex tuis scriptis legerit, vbi confutas Interimensium decreta. Desine igitur tortuose serpens mille per Męandros, fraudésque nexuosas, agitare quieta corda. Insidiaris autem non scriptis tantùm meis, verùm & vocibus: qui dicas me exgutturare mimica tua ethologia, fictitio verbo vsus, desgorger. Is certè loquendi modus, nempe ex profundo gutture, Barbaris potius peculiaris est, quàm Gallis: qui vix summis labiis sua sensa efferre solent. Ego verò vehementer cupiam te non solùm ex- Prou.30.

gutturare, immo verò ingenti vomitu expectorare astutam illam, quam gestas sub pectore, vulpē: quæ vtinam cum pilis mores mutare disceret in melius. Ego interim ad reliquas obiurgatrices calumnias verbum non amplius addam. Piget enim me bonas horas tam malè collocare. Faxit Christus opt. max. semper & super omnia benedictus, vt meliorem aliquando mentē induas: cuius nomen gloriosum in perpetuas æternitates.

Confessio Quinqueuiralis erronea aduersus Caluinum.

AEquius multo, & (si æquitatem & modestiā schisma patitur) lōgè modestiùs saxum hoc versant ac reuersant quinqueuiri illi (quorum coryphæus est Philippus Melanchthon) præcipuæ columnæ huius quod orbē Christianum interturbat schismatis: qui præscriptis disertisque sententiis ad obiecta per Interimēsem constitutionem, (quæ vtinā nō extaret) sibi satisfecisse vidētur. Verùm quàm longè sint à suo (vt ne aliud dicā) proposito, breui manu ostēdere prōptum est, omissis eorum tribus articulis: qui nihil aliud quàm meras nugas proferunt, quod asserimus negantes, quod negamus asserentes: ne sic pugnasse videamur, quasi in incertum: aut ita certasse, quasi aërē verberantes. Procedo ad articulum ab eis quarto loco citatum, qui apud eos sic habet:

Cōfutatio

Confessio erronea quinqueuiralis cōtra Cal.

[Quartus verò articulus de iustificatione est falsus: quòd dicit fidem, præparationem tātùm esse, dilectione verò hominem iustum esse. Hoc non conuenit cum doctrina ecclesiarum nostrarum, qua contendimus hominem iustum & acceptum esse coram Deo fide per Christum.]

Quid

Quid conuenticulis veſtris cõueniat,nihil moror.Interim non negamus fide per Chriſtũ iuſtificari corda hominum.Hoc tamẽ cum Paulo aſſerimus:Fides,ſpes,charitas,tria hæc:maior autem horum eſt charitas.Si ergo fide iuſtificamur, cur non magis etiam charitate? Si finis legis,dilectio: quid non poterit charitas? Si charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris,ipſa eſt quæ filios Dei conſtituit,cur nos non iuſtificabit? Ea eſt, quæ diſcernit inter filios regni, & filios carceris. Sed plura de hoc in ſequentibus.Proximè ſequitur: Cõfutatio. 1.Cor 13. Roma.13. Roma.5.

[Vult ſanè Deus multas neceſſarias virtutes, vt eſt dilectio,ſpes,pœnitẽtia &c. in nobis exiſtere. Sed has virtutes obumbrare debet fides in filium dei.Omnes enim reliquę virtutes fragiles ſunt:& ſemper in nobis aliquid imbecillitatis remanet. Ergo per mediatorem Chriſtum gratia quærenda eſt,iuxta Pſal. Coram te nullus viuens iuſtus. Et Daniel:Exaudi nos,non propter iuſtitiam noſtram, ſed propter miſericordiam tuam propter dominum noſtrum.] Erronea confeſsio quinqueuiralis aduerſus cal. Pſal.142. Daniel.9.

Hîc augure opus eſt aut Apolline nobis, cùm dicitur quòd dilectionem & alias virtutes debeat obumbrare fides,quas omnes dicitis in comparatione fragiles.An ignoratis quid Paul' dixerit in Romanis: Quis poterit nos ſeparare à charitate quæ eſt in Chriſto Ieſu? In heroica iſta charitate quid fragilitatis inueniri poſſit,non video.Deinde charitas à Paulo aſſeritur maior fide & ſpe. Quomodo ergo minor virtus adumbrare poſſit maiorem? aut Pygmæus Gigantem? Itáne ma- Cõfutatio Aſſertionis. Roma.8. 1.Cor.13.

gnis componere parua ſoletis? & quam ineluctabilem charitatem Paulus aſſerit, fragilem dicere & appellare audetis?

Et ne laboremus in æquiuoco, duplicem (quod nec ipſi negatis) aſſerimus charitatem: vnam ſcilicet Dei erga nos, quæ in immenſum maior eſt ea quæ noſtra eſt charitas ad Deum. Neque enim tantum redamamus eum, quātum ipſe amat nos. Vtraque tamen charitas fidem noſtram ſuperat & excellit. Id quod apertiſſimè probatur ex Paulo in Corinthiis priore. 13. Ait ille: Nunc autem manēt fides, qua ſcilicet in Deum credimus: ſpes, qua promiſſis eius inhæremus: charitas, qua eum ſuper omnia diligimus: tria hæc, vt intelligamus res eſſe diſtinctas: ſed maior horum, maior inquā fide & ſpe, eſt ipſa charitas. His verbis quid apertius? Non igitur adumbrat fides charitatem: verùm charitas illuſtrat fidem, vt Sol Lunā. A Phœbo enim Phœbe lumen capit. Hæc autem fides à charitate diſtincta, quantum diſcrepet ab ea quæ in dæmonibus eſt, ſuo loco dicetur. Hinc falſum colligitur, quod arroganter dicitis, veſtrā doctrinam apud aliquem cœtum piorum ſemper delituiſſe. Nam cùm dictis Pauli aduerſetur, abſit vt piorum aliquis illam aut receperit, aut recepturus ſit vnquam.

De imbecillitate noſtra quid attinet dicere, cùm illud ſit extra cauſam? Locos à vobis citatos nemo negat. Sed hi omnes non euertunt noſtrū inſtitutum, qui charitatem præferimus fidei, de qua
1.Cor.13. Paulus ait: Si habuero fidē, ita vt montes transfe-

ram,charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quid fides iſta poſſit,auditis:quantũ charitas ſuperet,niſi vos veſtra ignorantia fallit, aut excęcat peruicacia, negare non poteſtis. Interim nemo negat per mediatorem Chriſtum gratiã eſſe quærendam.

Reſtat igitur propius ad ſcopũ veſtrum accedere,illudq́; excutere,quid ſibi velit viua illa veſtra fiducia,quam ita depingitis:

[Sic quando de indita iuſtitia diſſeritur, nõ excludatur viua illa fiducia,qua dilectio,inuocatio, & vita in animis noſtris accenduntur: vt Paulus ſcribit ad Gal.2. Quod ego viuo, viuo perfidẽ in filiũ Dei.Neque dilectio ſine hac fide exiſtere poteſt.Maior enim eſt dilectione noſtra hęc iuſtitia, qua Deus nobis miſericors eſt.] Quinque uiralis cõfeſsio aduerſus cal.

Duo hîc explananda ſunt, ne confuſionẽ pariat æquiuocatio. Viua fiducia ſi totam virtutum theologicarum panopliam in ſe recipiat, fidẽ inquam,ſpem & charitatẽ:quis tam delirus, qui eã excludere velit ab indita,quã vultis, iuſtitia? Nec dilectio ab ea ſecerni poteſt,ſicut nec membrum à corpore,nec pars potiſſima à toto. Cõfutatio

Quòd autem euagantes dicitis, & extra orbitam diſcurrẽtes,maiorem eſſe noſtra dilectione iuſtitiam,qua Deus nobis miſericors eſt:nemo id vnquam inficiari poterit,cùm miſericordia illa Dei & iuſtitia iuſtificans ſit ipſe Deus.Iſta nec nos lædunt, nec vos offendere debent. Vnde igitur aut iurgia aut lites inter nos, niſi quòd occaſionem quærit,qui vult recedere ab amico? Quid hîc op⁹ Prou.18.

eſt cõtendere verbis, cùm ipſi ingenuè fateamur, dilectionem Dei erga nos, infinitis partibus eſſe præſtantioré, efficaciorem, excellétiorem ea quæ aut ex nobis aut in nobis eſt ad deum dilectione? Illud nobis ſatis eſt cum diuo Bernardo dicere: Qui amat, amat: aliud nouit nihil. Amor præter ſe non requirit cauſam, nõ fructum. Fructus eius, vſus eius. Amo, quia amo: amo, vt amem. Amor per ſe ſatis ſubiectus eſt, obſequitur ſpontè, gratis obtemperat, liberè reueretur. Amat & Deus, nec aliunde hoc habet, ſed ipſe eſt vnde amat: & ideo vehemẽtius, quia non tam habet amorem, quàm quòd ipſe amor eſt. Cùm enim amat, non aliud vult quàm amari: quippe qui ob aliud non amat, niſi vt ametur: ſciens ipſos amore beatos, qui ſe amauerint. Hæc ille.

Quid autem de fidei energia dicendũ ſit, ex eo diſcere debueratis, iuxta Baldad Suhitis ſententiá
Iob 18. dicentis: Vſque ad quem finem verba iactabitis? Intelligite prius, & ſic loquamur. Non facit homi nem rectum fides recta, quæ non operatur ex dile ctione. Sed nec opera quãuis recta, rectũ cor efficere ſufficiunt ſine fide. Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? Sine fide autem
Hebr. 11. impoſſibile eſt placere Deo. Qui non placet deo, non poteſt illi placere Deus. Nã cui placet deus, Deo diſplicere non poteſt. Hæc ſi ad trutinam verba ponderentur, non video quis inter nos ſupereſſe poſſit controuerſiæ locus. niſi fortè quem iurgare aut contendere delectat, vt qui vires ſuas omnes in iurgiorum torrente repoſuerit. Sed nu-

be

be depulsa variæ significantiæ verborum, clarior erit solito post plurima nubila Phœbus. Age igitur, videamus quid sequitur:

[At si in dilectionis necessitatem deuenimus: non tum cōtemplamur dilectionem nostram, sed extimescimus, & quærere cogimur consolationē ab conciliatore nostro, quem admirabili consilio nobis proposuit: de quo Paulus ait: Cōciliati pacem habemus. Eámque immutabilem Euangelij vocem vndique sacræ literæ testātur. Paulus proponit exemplum Abrahæ. Abrahā credidit Deo, & imputatum est illi in iustitiam: hoc est, Abrahā quidem erat multis clarissimis dotibus virtutum præditus: sed tātùm coram Deo iustus fuit, quòd credidit promissionibus.] Quinquenuiralis cōfessio aduersus Caluinum. Gene. 15. Roma. 4.

Hic iam magna ex parte respōsum est ex verbis beati Bernardi. Restat duos ex Paulo citatos locos excutere. Primum, quid sibi velit Paulus in verbo illo: Iustificati ex fide, pacem habemus, aut (vt alij legunt) habeamus. In primis, fide iustificamur, id nemo negat, sic & nos pane nutrimur. At sicut non in solo pane viuit homo: sic nec ex sola fide, nisi aliæ adsint, iustificatur homo. Panis est fundamētum, quo vita fouetur. Per fidem accessum habemus (vt idem Paulus ait) in gratiā istam: spe tamen non omissa, de qua mox sequitur: In qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ. Sed fidem & spem charitas sequitur, ex eodem Paulo, ita inquiente: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Tantum itaque abest vt fides adumbret Cōfutatio Roma. 5. Ibidem. Ibidem.

charitatem, vt fide comite charitas illustret fidem. Neque aliud volunt catholici. Verùm (vt Theophylactus ait) cum de fide quædam magna dixisset, & opera verbis extenuasset: ne desides fortè efficiamur, & inerti ocio dediti, refert demum quemadmodum ducenda sit vita. Vides quomodo ista cohæreant, ac se mutuò complectantur, fides, patientia, spes, & charitas? Quæ tam vera sunt, vt neq; ad latum quidem vnguem ab his discedere velimus. Vnde igitur bella & li-
Iacobi 4. tes in nobis, nisi à peccatis & cōcupiscentiis nostris, vt Iacobus ait?

Gene.15. Quæ autem secundo loco citantur ex Genesi super iustificatione Abrahæ, quæque recensentur à Paulo in Romanis quarto, tantum abest vt aduersus catholicorum doctrinam aliquid faciant, vt eam potius consolident & confirment. Nemo ex catholicis negat fidem, quæ per charitatē operatur, iustificare impium: idque non ex operibus legis, vt in Abraham, cùm nondum lex esset: sed neque ex operibus præcedētibus ante fidei accessum gestis aut patratis. Prima enim gratia nō ca-
Roma. 11. dit sub merito: ideo rectè dixit Paulus: Si ex operibus antea factis iustificaretur impius, iam gratia non esset gratia. Dicimus tamen veram esse sententiam diui Iacobi, Abraham ex pòst facto, non ex sola fide, sed ex operibus fuisse iustificatum. Quæ duo secum & cum veritate constare luculenter ostendit Augustinus in libro octoginta trium quæstionum: qui ait beatum Iacobū exponere beati Pauli intentionē. Quapropter (inquit) non

non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorũ ſententiæ Pauli & Iacobi, cùm dicit vnus iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, & alius dicit inanem eſſe fidem ſine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt: iſte autem de his quæ fidem ſequuntur: ſicut etiam ipſe Paulus in multis locis oſtẽdit. Ideóque alio loco ait Auguſtinus: Cùm dicit Apoſtolus, arbitrari ſe iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: non hoc agit, vt percepta ac profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur: ſed vt ſciat ſe quiſque per fidẽ poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim iuſtificatũ, non præcedunt iuſtificandum. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem: vt vehementer aſtruant fidem ſine operibus non prodeſſe: ſicut etiam ipſe Paulus, non quamlibet fidem qua in Deum creditur: ſed eam ſalubrem, planéque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Vnde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt montes trãsferam, charitatem autem non habeam: nihil ſum. Vbi autem fidelis charitas operatur, ſine dubio bene viuitur. Plenitudo enim legis, charitas eſt. Vnde euidenter in ſecunda Epiſtola ſua Petrus, cum ad vitæ morúmque ſanctitatẽ hortaretur, mundúmque iſtum tranſiturum prænunciaret, cœlos verò nouos & terram nouã expectari, quæ iuſtis habi-

Galat. 2.
Iacobi. 2
Lib. de fide & operib⁹. ca. 1.
1. Cori. 13
Roma. 13.
Cap. 3.

tãda traderetur, vt ex hoc attẽderent qualiter eos oporteret viuere, vt habitatione illa digni fierẽt: ſciens de Apoſtoli Pauli quibuſdam ſubobſcuris ſentẽtiis nõnullos iniquos accepiſſe occaſionem, vt tanquã ſecuri de ſalute quæ in fide eſt, bene viuere non curarent: cõmemorauit quædã ad intelligendũ difficilia eſſe in Epiſtolis eius, quæ homines peruerterent, ſicut & alias ſcripturas, ad propriũ ſuum interitũ: cum tamẽ & ille Apoſtolus de ſalute æterna, quæ niſi beneviuẽtibus nõ daretur, eadẽ ſentiret quæ cæteri Apoſtoli. Hæc Auguſt.

Neque id prætererierim ex OEcumenio. Solutio (inquit) patet ex his quæ dicta ſunt de Paulo & Iacobo: quomodo hic quidẽ ex fide ait iuſtificatũ fuiſſe Abraham, diuus autẽ Iacobus ex operibus, dicẽs: Pater noſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt, oblato Iſaac filio ſuo? Hæc ille. Quæ oblatio ad charitatẽ Dei pertinet, & dilectionẽ Dei ſuper omnia. Fuit etiã dilectio Dei ſuper omnia tãta in martyribus, vt culpã omnẽ deleret & pœnã, beatóſq; redderet martyres: vt quibus non imputaret dominus peccatũ, remiſſis eorũ iniquitatibus. Iuſtificat ergo charitas fide præexiſtẽte: iuſtificat & fides ſpe & charitate comitibus. Et hæc eſt ſancta & catholica doctrina à priſcis patribus ad nos vſque deuoluta. Ex his apparet fidẽ iuſtificare, quæ per charitatẽ operatur: non autem ſolam fidẽ, ſed comitatã ſpe & charitate. Sic etiã ſpes iuſtificat, & charitas iuſtificat ſuis vallata comitibus.

Hæc cùm ſint veriora veris, nihil habent vnde aſpernari debeãt aut refutare orthodoxorum do-

ctrinā Ecclesiasticæ osores disciplinæ: nisi quòd singularis eorum feritas prurit libidine contradicendi. Ideo vndecunque nihil aliud quàm ansam schismatis fouendi mendicant: quam quidem accipiũt ex locis scripturæ pseudographa interpretatione obscuratis. In quibus ita se oblectant, vt sus in volutabro luti.

Procedit autē hallucinatio hæc ex ea quæ mox sequitur radice. Qua euulsa, statim collisa ruent subductis tecta columnis. Sic enim aiunt.

[Ideo falsus est hic libri articulus, quo docetur dilectionem esse veram iustitiam: & fingitur fidē esse scientiam tantùm, qualis est diabolorum. Quare nullo pacto librum ex hac parte recipi consulimus.] Quinquevirallis cō-fessio adversus Calvinum.

Nota ista consequentiæ [ideo] haurit ex luce tenebras, & præsentissimum ex melle venenum. Cōfutatio Dicere enim debueratis: Ideo ex his quæ per catholicos patres declarata sunt, doctrinam orthodoxorum recipimus, & abiecta peruicacia eā amplectimur & exosculamur. Nam planè commentitium est vestrum figmētum, quo dicitis nos fingere fidem esse scientiam tātùm, qualis est diabolorum. Mirum quòd non pudeat vos vestræ imposturæ: cùm satis constet ex dictis à beato Augustino declaratis, aliam esse fidem Christianorum, qui etiam peccato laborant, aliam dæmonum. Fides enim Christiani etiam peccatoris mortua quidem est, quia sine charitate: non autem bis mortua, quia in radice viuit. Vti arbor per rigorem hyemis, fronde, flore, fructúque

viduata, mox tamen virorem receptura, & ea quę inde ſequuntur, poſtquam tranſierit, abiens imber receſſerit: tunc appetente Vere, ſalutaris pœnitentiæ flores apparêre incipient, ſuúmque vites ſpirabunt odorem. Peccator ergo ante pœnitentiam fidem habet veram, qua fidelis & frater dicitur. Eſt enim viua & vera in radice fides, quam vos perdidiſtis: cùm nullā aliam habeatis, quàm eam ipſam quæ à vobis dicitur diabolis communis. Eſtis enim arbores autumnales bis mortuæ, tam in ramis charitatis, quàm in radice fidei orthodoxæ. Peccator autem nec frater eſſe deſinit

ucæ 17. nec fidelis, quum CHRISTVS dicat: Si peccauerit in te frater tuus. Frater ergo eſt, & peccator.

latth. 18. Et rurſum: Lucratus es fratrē tuū. qui etiā & pec-

Cor. 5. cator & frater erat. Et aliis pleriſq; locis Paul. Si quis frater nominatur inter vos, eſt fornicator,

.Theſſ. 3. &c. Alio item loco: Nolite eū quaſi inimicū exi-

bidem. ſtimare, ſed corripite vt fratrem. Et, Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Hac diſtinctione eluduntur & elidūtur omnia veſtra figmenta. Quomodo enim fides illa eſſet diabolica, de qua dicit Paulus: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, nihil ſum? Eſt er-

Galat. 5. go fides media inter eam quæ per charitatē ope-

acobi 2. ratur: & eam de qua ſcriptum eſt: Dæmones credunt, & contremiſcunt. Et hæc eſt de qua ad præ-

. Cor. 13. ſens loquimur. Nam cùm dicat Paulus: Manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: ſequens eſt illas eſſe diſtinctas, vt etiam manere poſſit fides charitate extincta, mortua quidem in ramis, ſed in radice

viua.

viua. Nam cùm maior ſit charitas, triúmve maxima: ſequens eſt vt minor ſit fides. Sed quomodo minor eſſet, ſi in ſe complecteretur charitatem? Alioqui idem eſſet maius & minus ſeipſo. Videât cæci iſti, quos excæcauit propria malitia, quâtum ex vna ſcintilla ſequatur incendium, & ex rimula vna quàm ingens ſequatur naufragium. Cùm ergo nihil habeant quod opponere poſsint, ceſſet diabolicum eorum inſtitutum, quo aiunt ſe doctrinam ſuam, non iam doctrinam, ſed errorem, in eccleſiis ſuis, immo verius in ſynagogis Satanæ, mordicus velle tenere & conſeruare. Ad cætera pergimus.

De Eccleſia & epiſcopis.

Quinqueuiralis aſſertio aduerſus Caluinum.

VErum eſt (inquiunt) Eccleſiam eſſe congregationem rectè credentium. Sed quærendum eſt quinam ſint illi verè credentes.]

Cõfutatio

Meritò quæritis quinam ſint verè credentes. Hinc documenta datis, vos eſſe alienatos à vulua, errantes ab vtero, loquẽtes falſa. Nemo enim quærit niſi quod ſe perdidiſſe animaduertit. Verè credẽtes, ſunt doctrinæ ſanctorum patrum aſſertores. Verè credentes, ſunt grana in horreo remanentia: qui à priſca patrum fide nunquam diſceſſerunt. Vos autem paleæ eſtis, vento temeritatis & philautiæ ab horreo Eccleſię excuſſę. Nam neque à vobis verbum prodiit, neque ad vos ſolos peruenit. Deniq; multæ ſunt notæ quibus facile eſt diſcernere fidelem ab hæretico: quas omnes in vnum volumen congeſtas ſingulatim ſuo loco

Pſalm. 57.

1. Cor. 14.

descripſimus. Quod ad me attinet quantum ad præſens negocium, id mihi dixiſſe ſufficiat: fidem Eccleſiæ eam eſſe, quam deſignat diuus Ioannes in ſua canonica: Hæc eſt victoria, quæ vincit mũdum, fides noſtra. noſtra (inquit) omnium fidelium, ſeu totius Eccleſiæ Chriſti ſponſæ. Quæ tãti eſſe debet apud omnes, vt nulli ratiocinationi, quátumuis argutæ, cedere debeat. Quocirca non carent ſuſpicione blaſphemię, qui fidem Eccleſię ſubmittere volunt diſputationi humanæ: vt ſcilicet obtineat pars, quæ ratiocinando victrix appareat. Hoc eſt certè ſubmittere fidem mundo, non fidei mundum. Immo contrà, tanta fidei debetur reuerentia, vt meum ipſius ingenium illi ſeruire debeat: adeò vt etiam ſi neſcirem quid reſpondere poſſem obiectioni aduerſarij, nunquam tamen deſerenda forent ſigna Eccleſiæ Chriſti ſponſæ, captiuando intellectum meũ in obſequium Chriſti, ac eius ſponſæ Eccleſiæ.

Ioan. 5.

Offendunt inſuper, & quidem grauiſsimè, qui fidei ſummam eò relegandam eſſe putant, vt ita lis dirimatur per quãdam veluti monomachiam. Si igne accenſo ita demum probetur veritas: vt duo contendentes, catholicus vnus, hæreticus alter, mediis ſe flammis exponant: & pars ea, quæ flammas euaſerit, victrix cenſeatur. Quod nullatenus licet, quum omnino prohibita ſit purgatio vulgaris: vt aquæ feruentis, & ferri candentis, ita & flammæ ardentis. Id enim iura vetant: neque abs re. Nam præter id quòd conſtat quoſdam ſub iuſto clypeo periiſſe, nullatenus tentãdus eſt dominus,

minus, quemadmodum tentarunt duræ ceruicis Iſraëlitæ, volentes experiri an eſſet apud eos dominus, an non. Quaſi verò liberum ſit ſeruo imponere legem domino, vt fidem ſuam hoc vel illo ſigno comprobet: aut ſecuris ſeipſam erigat cõtra ſuum artificem: aut creatura audeat legem imponere creatori: cùm potius victoris ſit dare legẽ victo, non ediuerſo. Iam quis ignorat cõtrarium fuiſſe apud martyres exemplum? qui tantùm aberant vt ſibiipſis mortem cõſciſcerent ad probandam fidei veritatem, vt tantùm ſe paratos declararent ad quæuis dira ac dura ſubeunda quæcũq; tormenta potius, quàm fidem abnegarent. Mortem ſuſtinuerunt oblatam: nunquam tamen ita condixiſſe leguntur, vt ad probationem ſuæ fidei flammas experiri vellent ea lege, vt fauore fidei nullatenus vrerentur. Hoc enim eſt ab omni religione ac pietate alienum. Sancti per fidem vicerunt regna, oblata queque æquanimiter ferendo, operando iuſtitiam, & ſperando repromiſſiones. &, Si quid propter iuſtitiam patimini, beati. Hæc igitur eſt victoria, quæ vincit mundum, etiam vſque ad tolerantiam mortis propriæ, fides noſtra. Peccat autem, qui ſigno aliquo propoſito ſuam fidem probare contendit. Habent Moyſen & prophetas (ait Chriſtus) illos audiãt. Non igitur euaſione, ſed tolerãtia periculorum fides noſtra probanda eſt: nec diſputatione conſeruanda religio. Quin potius audiendus eſt, qui ait: Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam, & pro iuſtitia certa vſque ad mortem. Reddi poteſt ratio,

Heb. 11.
Matth. 5.
Lucæ 16.
Apocal. 3.
Eccli. 4.

ita tamen vt ſemper in noſtra ſtatione manentes, ſigna ſemel iurata nullatenus deſeramus. Non enim cauſam religionis agit, aut rectè tuetur, qui ad ſuum arbitrium, ſigno dato, ipſius fidei cauſam ſe tueri falſò arbitratur. Hanc diffidentiam acerrimè inſectatur Iudith illa vidua caſtiſſima, ac religionis aſſertrix conſtantiſſima, his verbis:

Iudith 8. Qui eſtis vos, qui tentatis dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei? Vt ergo breuiorem exitum hæc cauſa inueniat, veros credentes dicimus, qui ſequuntur vniuerſitatem, antiquitatem, & conſenſionem. Huc enim ſpectat nomen catholici, vniuerſitatem, ſi veram fidem fateamur, quam tota per orbem confitetur Eccleſia. Adueniente autem nouello ſchiſmate, ſequemur antiquitatem ſub his ſenſibus, quos priſci ſancti patres nos docuerunt. Sed & in ipſa vetuſtate publicam conſenſionem amplexabimur, ea ſectando dogmata, quæ omnium penè ſacerdotũ, paritérq; magiſtrorum definitiones communi & mente & voce protulerunt. Qui hęc tria mordicus tenent, & conſtanter obſeruant: hi ſunt verè credẽtes, in vera fide radicati & fundati, non leues ſtipulę primo quoq; venti afflatu agitatæ aut diſperſæ.

Cætera quæ magna ex parte nulla ratione fulta proferuntur, prudens prætereo. Nihil enim auditur ab eis, niſi, Hoc & illud volumus, Hoc & illud reſpuimus. Sed ibi allegatur tantùm pro ratione

Particulares autẽ mediatores nec ipsi negare po- Deut. 5.
testis, qui Moysen mediatorẽ fuisse incolumi authoritate scripturæ inficiari non auderetis. Quod autẽ arroditis illud, q orthodoxi ex vsu specialia quædã à singulis auxilia expectent: quid obest, cũ stella differat à stella & influxu & claritate? Non 1. Cor. 15.
tamen ita vnũ petimus, vt non etiã in reliquis nostris necessitatibus eorũ suffragia recipere posse diffidamus. Idololatriam autem hac inuocatione confirmari, vanum omnino ac cõmentitium est. Neq; enim aliquid tollit à fõte, qui haurit à riuo. Neq; aliquid iniuriç struebat Chanança Christo, Matth. 15.
quæ Apostolorum suffragium implorabat. Nec Marci 7.
vllo opus est in eam rem prçcepto. Satis nobis esse debet, q Christus huiusmodi intercessionẽ nõ improbarit, neq; auersatus fuerit, quin potius ex euentu docuit diuina maiestas gratã illi fuisse: vt cõstat ex beneficiis ad diuorum inuocationẽ per orbẽ vniuersum receptis. Id amplissimè docet de D. Stephano Augustinus: déq; diuis Geruasio & Protasio Ambrosius. Deniq;, quis non? Ad cæteras nugas, quæ nihil ad rem pertinent, nec verbulum quidem vnum adiungendum est, cùm illud vnum sufficere debeat, q legimus patriarchã Iacob non tãtùm diuinæ maiestatis auxilium implorasse, verùm etiam Angeli suffragiũ intercessionémq; requisiisse, qui sui magna ex parte itineris dux comésq; fuerat, idq; in gratiam Ephraim & Manasse, quibus bene precabatur, vt Geneseω Gen. 48.
historia tradit. De reliquis nihil ad præsens, quorum confutatio ex præcedentibus patet. Vnum

ſupereſt vt rogem, vt vobis reddat Dominus mẽtem ſanam in corpore ſano. Quam ſi renuitis, iubeat vos dare locũ ſanctis idẽ ipſe, qui eſt ſemper & ſuper omnia benedictus in ſecula. Amen.

Peroratio.

SI quem fortè hæc tam multa faſtidiunt, dignetur ſaltem hanc perorationis coronidem eo, quo decet, animi candore, quantulacũq; eſt, animo lubenti ſuſcipere.

Extrema Scenæ huius portio tota expendetur in deſignandis notis, quibus diſcerni poſſit hæreticus impius à pio catholico. Sic enim fiet, vt quẽadmodum Cain ſigno in fronte recepto (vt à cæteris dignoſceretur) vagus ac profugus pererraturus erat in terra: ita & cęteri catholici deprehẽſa apud hæreticos ſchiſmaticæ nota ſeditionis, ſibi ſumant pennas ſicut Aquilæ, vt inde auolantes requieſcant, & quaſi à facie colubri confeſtim aufugiant, typo mulieris illius de qua Ioannes in Apoc.12. Datæ ſunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret ad deſertum, ad locum ſuum, vt ibi alatur per tempus & tẽpora, & dimidium temporis à facie ſerpentis.

Cùm autẽ nec paucæ nec modicæ ſuppetãt hæreticæ impietatis notæ certiſſimæ, prima occurrit temeritas ſingularis, ac temeraria ſingularitas hæretici, perpetua comes erroris, qua obruti & excæcati præcipites in omnem corruũt errorem. Nam quemadmodum aperitur modeſtè ac tẽperanter pulſanti: ſic temerè ingredi ac impetuoſè

volenti

volenti meritò fores occluduntur. Pręire volunt, non scripturam sequi, præuolātes hæretici: fidem potius ex proprio nutu cōstituere parati, q̃ à quouis etiam sanctissimo oblatā excipere: nil nisi quę volunt, aut gustantes, aut sapientes: neq; ex obiecto eis aliquo sensu, sed ex subiecto per arrogantiam quippiam statuentes. Id quod iam olim Sapiens prædixerat: Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi dixeris quę versantur in corde ipsius. Dum verò quod volunt minus assequuntur, caussantur omnium aduersariorum nubilam ignorātiam, Herpestæ nihilo dissimiles, qui (vt est apud Senecā) cùm subitò cæcitatem cōtraxisset, causabatur domus qua cōtinebatur tetram caliginem & obscuritatem. Cùm autem sub diuo existēs nihilo amplius optata luce frueretur, sui vt esset sēper similis, Solis iubar lucē illi subtraxisse peruicaciter contēdebat. Quæ certè iactura in ipsis eatenus deprehenditur hęreticis, ꝙ cùm Deo ac superis ob suas blasphemias odiosi perpetuò sint & inuisi, nullum in sese recipere possunt supernę lucis splendorem. Hoc autem inter hæreticismum catholicismūq; interest, ꝙ in barbito aut cithara experiuntur omnes, vbi voces, tametsi inter se diuersæ sint, in harmonia tamen gratissimè conueniunt, nec refert q̃ diuersę, modò ne sint aduersę. Sūt enim inter catholicos opiniones, collationes quædā potius q̃ oppositiones, à præscriptis fidei legib. neq; ad minimè quidē vocis spiritū deficiētes: adeò sunt sibi & charitati concordes. Hæreticorum autem vęsana colluuies, & suis & externis

atq; adeò ipsi aduersatur charitati, inter quos tot sunt dogmata, quot pastores, atq; (vt elegãter Hilarius ait) tot fides, quot voluntates: tot doctrinę, quot mores. quibus ad numerum capitum atque etiam aut horarum aut dierũ, variæ sibi inuicem succedunt sententiæ, nulla vel obediẽtia vel charitate sibi cohærentes: cùm tamen nusquam inter catholicos, nisi intra latitudinẽ obedientiæ aliud reperiatur, quàm vel discordia concors, vel per omnia nulla ex parte subsultans animorum mentiúmque concordia simplex.

Id quod diximus, miro fulgote ac lepore Fulgentius Maxentiúsque suis coloribus graphicè depinxerunt. Hæc autem sunt Fulgentij ipsissima verba ad Donatum: Non omnes qui Christi participes sunt, possunt defensare quod credunt: sed illa bona pars est victoriæ, vt etiam si sermone non posfint, fideli tamen corde deuitent errorem, respondendi difficultatem suppleat credendi firmitas. Egregium sanè pharmacum aduersus hæreticorum virulentam procacitatem, quorum peruicaciam dilucidè retegit Maxẽtius. Nunquam (ait ille) induit obedientiam opinione vallata superbia. Nil nisi rixã ex religione captat. Propria colligit, externa negligit. Vna cura est velle imperare, non cedere. Contemptrix est authoritatum veterum, nouarum cupida quæstionum. Solam existimat rectam viam, cõceptam ex priuato ingenio sententiam.

Sed nobis opponũt hęretici, cõtaminatos, prorsúsq; illaudatos in quãplurimis de catholicorum grege

grege mores, penéq; prostitutos. Cui obiectioni ita satisfactum esse cupiam, ꝙ longè aliud fuerit, grauiúsque flagitium, in dogmate ex peruicacia, quàm in viuẽdi ratione ex fragilitate errare. Illud fontis malorũ perpetui, augiæque inexhaustæ typum gerit, perẽnem riuum impietatis ac blasphemiæ ex sese procreantis: istud imaginẽ præfert vasis cuiusdam sordibus quidẽ repleti, sed intra mẽsuram quandam purgandi tandem & exhauriendi, nisi iterata malitia denuo repleatur. Ista quidẽ breuis est, illa perennis aqua. In istis, dum anima in corpore est, spes est: in illis verò, vtpote ad mortem peccantibus, non dico vt pro eis roget quis. Sunt enim hæretici ei persimiles,

--Qui aduerso vix flumine lembum
Remigiis subigit: si brachia forte remisit:
Tunc illum in præceps prono rapit alueus amni.

Catholicos auersos voluptas trahit, non statim ad rupem collidendos. hæreticos autem peruicacia medios tenet, obruit, excæcat, inuoluit, vinctos & victos rapit, volentes tamen & cõsentientes. Consentit his quæ diximus, Chrysostomus in Matthæum cap. 7. homilia. 19. Peius (inquit ille) malè credere, quàm malè agere: quoniã fides sine operibus aliquid est, etiãsi mortua (in ramis subaudi, non in radice.) Quod autem nõ est ex fide, peccatum est. Quin error & infidelitas nõ solùm peccatum est, verùm etiã pœna peccati, aut nunquam aut rarò diluenda Mirum autem est, quòd nõ pudeat fragilibus per conuiciũ peccata opponere hæreticorum perditissima, luxuq; humentia Roma. 14.

Sapien.1. ingenia(in quorum animam maleuolam nunquã introibit ſapientia)nec niſi proprio potius quàm externo ſordẽtia ſenſu.Catholici quidem lapſum patiuntur,ſed intra viam & fidei orbitam:hæretici verò tã longè abſunt à via,vt nulla ſpes redeundi ſuperſit.Illis cauẽdum offendiculum: iſtis poſt longum delirium in viam redire prõptius eſt deſiderare,quàm videre.In catholicis pauci boni, in Gene.18. hæreticis verò nullus. At ſi in Sodomis decẽ ſaltem ſuperfuiſſent,parcitum illis fuiſſet à ſubita cõflagratione:in catholicis autẽ(Deo ac ſuperis gratia)plures ſunt,quàm qui deprehenduntur. Sunt enim malis permixti, veluti grana paleæ. In eis fundamentum eſt,initium omnis peccati, ſuperbia : quin & perpetuò viret radix omnis peccati auaritia.Hæretic⁹ enim eſt ex propria deſcriptione,qui aut inanis gloriæ,aut lucri alicuius captandi cauſa,dogma recens adinuenit, aut inuentum ſequitur.Catholicorum verò lapſus non ſic altas fixerunt radices, vt inde diuelli nequeant. Illi in Labyrintho vagantur, vnde vix vllus pateat exitus,niſi longo ac continuo filo peragrata repetentes ſpacia ſibi exitum parent. Catholicorum verò ruina ſecus viam eſt,ad quam non prorſus deſperatus patet reditus. Ad reſipiſcentiam verò promptius remedium apparet hoc.Nam quę nimis apparent retia,vitat auis.

Suis verò hæreticus,dum non apparẽt, retibus excipitur.Per hęreticos deflorantur mores bonis (quas vocant)ac florentibus literis. Ad recta potius quàm acuta,probanda ſunt ingenia. Qua de re

re ipſi viderint. Nemo ſanè mihi dixerit bonas literas fidem ſui dicti deſiderans, niſi bona mens acceſſerit. Scientia ſalutis non tam ingenio quàm ſpiritui tribuenda. Eruditionis mater humanæ, labor: nouerca vero diuinæ, præſumptio. Spiritus à Deo mittitur poti⁹ quàm diſcatur, ſuggeritur magis quàm legatur. Tenui quidē ingenio veriſimilis nonnūquam, ſed citra aras, apparet falſitas: cōtumaci verò & ſuperbo falſo ſimilis pia ſemper videtur credulitas. Veſperæ vmbræ longiores, nocte verò craſſiores: ſic tenues in catholicis vmbrę errorum, in hæreticis verò inſuperabiles. Hi ſicut muſcæ Siculæ non ſolùm venenati ſunt & virulenti, verùm aculeis ſuis ſauciatis morbi ſenſum auferunt. Atqui à morbo ſenſum abeſſe morbi, mortis præſentiſſimum indicium eſt. Vis dicam? Grauius nonnunquam offenderunt animos, qui aliena retulerunt vitia, quàm qui ea commiſerūt. Impia & crudelis illa meretrix eſt, quæ apud Salomonem prętulit diuiſionem infantis, quàm vt integer matri redderetur. Zelus in hęreticis amarus proprio illos prodit indicio, vt & furtum ſonorum latronem. Non correctio, verùm iniuria potius eſt, quæ ſcelere adimpletur. Trabem primùm à ſe relegēt, paleam demū ab alio excuſſuri. Vera (vt inquit Gregori⁹) iuſtitia indignationē habet, non dedignationē. At nihil aliud videas in hæreticis, quā vaſtiſſimā ſpurciſſimorū vitiorū ſegetē, ac virulentiarū omniū camarinā, ſcōmatū ac ſcurrilitatū plauſtra innumera: deniq; omniū improbitatū iliadē, contumeliarūq; fæcē inexhauſtam.

2. Reg. 3.

Priorib⁹ quoque, ſi non ex æquo conferenda, ſaltem adnumeranda venit hæc inter impios pioſq; dogmatiſtas ſelecta diſcretionis nota: quòd illis ſufficiat ab ipſo tantùm limine luſtrare, non item aut profundiùs ſcrutari, aut certè perluſtrare ſcripturas. Quarum ſenſus aptus veréque genuinus ita ex vno colligitur loco, vt minimè aduerſetur alteri. Apud catholicos nō ſatis fuerit vni ſe adaptare rationi, aut interpretationi: niſi etiam oppoſitiones diluantur aduerſæ, vt ita demum omnia quadrent ſecum, & cum veritate omnia conueniant. Excutienda ſingula, ita vt ne quid à tergo, aut à latere obſiſtat, quod ſtatuendæ ſententiæ catholicę negocium facere poſſit. At verò impij iſti dogmatiſtę, quidquid primum aut in buccam aut in mentem venerit, modò recens ſit & inauditū, id omne pro oraculo, certiſſimoque axiomate incunctanter proponunt, illius ignari ſententiæ: Quod ante oculos ſitum eſt, non ſatis eſſe intueri: ſed omnia prius circunſpicienda: ne lege tota minus perſpecta fallamur incauti. Neſcienti literas ſi offeratur codex, dictur⁹ eſt: Legere nequeo. ſignatus eſt enim. Iſti, quaſi eis omnia ſint in aperto, obuia quæque confeſtim pro ſui animi libidine aut probant aut improbant, literarum intelligentiam ſibi tribuentes, quarum nec didicêre lecturam.

Sunt etiam inter eos quidam, qui manu nō mēte, ſtylo potius quàm corde hæreſiarchis ſubſcribant, aut cibi captandi, aut rei familiaris augendę gratia. Hi non tā pro hæreticis, quàm pro fauto-

ribus

ribus habendi ſunt. Sunt qui vtilibus alioqui ſcriptis noxia raptim intermiſceant. Atqui in menſæ apparatu plus officit ſtilla veneni, quãtumuis modica, quàm ſolidus vini congius. Ruinoſæ ſepes domicilia ſolent eſſe ſerpentum. Ciſternæ diſſipatę continere non valent aquas. Non recentioribus inuentis, verùm moribus potius antiquis ſtat res Romana, viriſque. Sal communi omniũ ſenſu & cõſenſu infatuatũ, ad nihil vltrà valet, niſi vt conculcetur ab hominibus. Hæreticorũ eloquentia, aut potius dicacitas, in tori conſortium (vti olim Ethnica meretrix bello capta) adduci non poteſt, niſi reciſis prius virulentæ detractionis vnguibus, & laſciuiæ exempto capillitio, aut vano ſemper, aut pernicioſo. Hæretica verò dicacitas in omnes dentem acuit: dicteria dicit in omnes. Præſtiterit rectam à quouis balbutiente didiciſſe viam qua ſit eundum, quàm viri alioqui eloquentiſſimi deuium ſectari errorem. Chriſtus ſeſe orbi prodidit laceris inuolutum faſciis potius, quàm aurata trabea decorum. Proferant perduelles hæretici ſigna & virtutes, quas à patribus emanaſſe didicimus, quorum lacte & ſolido cibo & paſti ſum⁹ & aliti. Tutiſſimus imbecillium paxillus eſt traditio Eccleſiæ, vt pedamentum viti. Sobria prudentia lux eſt & lucerna pedibus noſtris. Quod bonum eſt, non quod tãtùm videtur, tenendum. Lydius lapis, quo verũ ab adulterino ſecernitur aurum, vnus eſt Eccleſiæ cõmunis conſenſus. Quæ in cõtrarium proferuntur, quãtumuis fucata, omnia fruſtra.

Matth. 5.

Ex his diluta ad oculum cernitur ab hæreticis in catholicos hactenus inuecta calũnia, ita vt nil vltrà, quò iam progrediantur, habeant: mutáque fiāt labia dolosa, eo authore, eiúsque auspiciis, qui disperdere solet labia impura, & linguam magniloquam. Cuius imperium fine caret & termino. Illi laus & gloria in secula. Amen.

Nouissimè ex diui Bernardi sententia ita perorandum duximus, super Cantica sermone 66. Multa quidem & alia huic populo stulto & insipienti à spiritibus erroris in hypocrisi loquētibus mendacium, mala persuasa sunt, sed non est respondere ad omnia. Quis enim omnia nouit? Deinde labor infinitus esset, & minimè necessarius. Nam quantum ad istos, nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt: nec authoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt. Probatum est: mori magis eligunt, quàm conuerti. Horum finis interitus, horum nouissima incendium manet. Horum siquidem in facto Samson & succensis vulpium caudis figura præcessit. Plerúnque fideles iniectis manibus aliquos ex eis ad mediũ traxerunt. Quæsiti fidem, cùm de quibus suspecti videbantur, omnia prorsus suo more negarent: examinati iudicio aquæ, mendaces inuenti sunt. Cumque iam negare non possent, quippe deprehensi, aqua eos non recipiēte, arrepto (vt dicitur) fræno dentibus tam miserè quàm liberè impietatem non confessi, sed professi sunt, palàm pietatem adstruentes, & pro ea mortem subire parati,

Iudith 15.

nec

nec minus parati inferre qui astabant. Itaque irruens in eos populus, nouos hæreticis suæ ipsorũ perfidiæ martyres dedit. Approbamus zelũ, sed factum non suademus: quia fides suadenda est, non imponenda. Quanquam melius proculdubio gladio coërcerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quàm in suum errorẽ multos traiicere permittantur. Dei enim minister ille est, vindex in iram ei qui malè agit. Roma. 13.

Mirabantur aliqui, quòd non modò patienter, sed & læti (vt videbatur) ducerentur ad mortem. Sed qui minus aduertunt, quanta sit potestas diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. Nónne plus est sibimet hominem iniicere manus, quàm id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt. Denique Iudas suspẽdit seipsum, diabolo sine dubio immittente. Ego tamen maius existimo, magisq; Matth. 27.
admiror, quòd potuit immisisse in cor eius vt traderet dominum, quàm vt semetipsum suspenderet. Nihil ergo simile habent constantia martyrũ, & pertinacia horum: quia mortis cõtemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur. Et ideo propheta martyris forsitan voce dicebat: Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò legem tuã Psal. 118.
meditatus sum: pro eo videlicet, quòd & si pœna eadem videretur, longè diuersa esset intentio: illo vtique durante cor contra dominum, isto in lege domini meditante. Quæ cùm ita sint, nõ est opus

(vt dixi) frustra multa aduersus homines stultissimos atque obstinatissimos dicere: sufficit innotuisse illos, vt vitentur. Hæc ille.

Ecquid tam multis támque piè ac neruosè stabilitis, saluo frontis pudore legitimè opponere posit Caluinica temeritas, etiam si sit ipsa petulantissima? Desinat itaq; sua nobis recèns inuenta dogmata obtrudere, quæ verè sunt deliramenta. Desinat scripturæ sacrosanctæ nitorē lucémque ac splēdorem suis obscurare corruptissimis interpretationibus, & calcariā carbonaria denigrare. Nec eū pudeat si quæ hactenus stabilire conatus est diruat, quæ fundauit eradicet, quæ plantauit euellat, quæ erexit conculcet ac proterat. Id agēs ex falso nec omnino pudendo recantationis incommodo, perpetuum miniméque pœnitēdum sibi comparabit cōmodum. Amplectatur & exosculetur hierarchicas traditiones, séque ipsum cōponat ad mores & vsus Ecclesiæ sacrosanctos. Desertam protsusque cōtemptam induat modestiam, & eam quam metuendo suo ac tremendo iudicio peccatis suis id exigētibus, dominus abstulit de cardine mentem. Id faxit inexhausta eius benignitas & clementia: cui laus decus & imperium in perpetuas seculorum æternitates. Amen.

FINIS.

Iud




calibrite
colorchecker CLASSIC
mm